



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso


Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



7-1232



UNIVERS



oogle





I.F.L. SCHRODT I.V.D.

SAC. CAES. REG. APOST. MAIEST. CONSILIARII

IVRIVM IN VNIVERSITATE PRAGENSI

PROFESSORIS PVBLICI ORDINARIII

S Y S T E M A

IVRIS GENTIVM.



---

B A M B E R G A E  
SVMTIBVS VINCENTII DEDERICH, BIBLIOPOLAE PRIVILEGIATI. 1780.





the  
ini  
et L  
m i  
adam  
EMA  
s not  
at a



B. L.

Quae me ratio nuper impulit ad  
clarissimi viri IOSEPHI FRAN-  
CISCI LOTHARII SCHRÖDT,  
iurium in vniuersitate Pragensi  
quondam professoris celeberrimi  
SYSTEMA IVRIS PVBLICI VNIVER-  
SALIS nouis typis euulgandum; ea-  
dem & animum permouit meum, vt  
\* eius-



ciusdem authoris SYSTEMA IVRIS  
GENTIVM, quod anno 1768. Pra-  
gae editum est, praelo denuo subii-  
cerem. Offero TIBI istud, nec  
est, cur aliud addam, quam quod  
in hoc excudendo eadem versatus  
sim solertia, qua prius illud cura-  
ui. Quodsi menda quaedam typo-  
graphica hinc occurrant indeque;  
facile a TE impetraturum me spero,  
vt ea & corrigas, & ei, cuius culpa  
irrepere, ignoscas. Vale.

CON-



# CONSPECTVS

SYSTEMATIS

IVRIS GENTIVM.

---

PROLEGOMENA.

DE IVRE GENTIVM  
IN GENERE.

PARS I.

IVS GENTIVM CONNATVM  
SEV ABSOLVTVM.

C. I. De iuribus absolutis & officiis  
gentium erga se ipsas.

\* 2

C. II.

- C. II.** De officiis gentium absolutis perfectis erga se inuicem.
- C. III.** De officiis gentium erga se imperfectis.

PARS II.

**IVS GENTIVM HYPOTHETICVM SEV ADQVISITVM.**

- C. I.** De dominio gentium, eiusque acquisitione originaria.
- C. II.** De iuribus & effectibus domini inter gentes.
- C. III.** De pactionibus gentium publicis.
- C. IV.** De foederibus.
- C. V.**

**IVRIS GENTIVM.**

---

C. V. De pactis gentium accessoriis,  
feu de modis firmandi pacta &  
foedera gentium.

**PARS III.**

**SECTIO I.**

**IVS BELLII GENTIVM.**

C. I. De iure belli.

C. II. De causis belli.

C. III. De iure hostis in hostem.

C. IV. De iure victoriae & postliminii.

C. V. De pactis bellicis.

C. VI. De gentibus in bello mediis,  
& iure in auxiliares belli.

S E C T I O II.

IVS PACIS GENTIVM, EIVS-  
QVE CONSECTARIA.

C. I. De pace & sponfionibus.

C. II. De amnestia & subsistentia  
pacis.

C. III. De mediatione & guarantia  
pacis.

C. IV. De legatis, eorumque iure.



SYSTE-



# SYSTEMA IVRIS GENTIVM.



## PROLEGOMENA. CAPVT VNICVM. DE IVRE GENTIVM IN GENERE.

### §. I.



Exposuimus in systemate iuris publici vniuersalis iura & obligationes sociales ciuiles *imperantis & parentium* in statu ciuitatis *interno*: nunc ad iura & obligationes *liberarum ciuitatum inter se* progredimur.

*Transitio ad ius gentium.*

### §. II.

Ciuitates liberae inter se consideratae appellantur *gentes*; quare per gentem *singillatim*.

Schrodt I, G.

A

latim

*latim sumptam nihil aliud denotamus, quam ciuitatem liberam.*

## §. III.

*Gentes obligantur iure naturali.*

**E**x hac notione patet, quamlibet gentem esse personam *moralem* in statu naturali uiuentem, & plures gentes esse huiusmodi personas; quamobrem eadem iura & obligationes, quae sunt hominum singulorum in statu naturali degentium, necessario conueniunt *gentibus*. Iam vero homines singuli in statu naturali degentes habent iura & obligationes naturales; ergo pariter gentes vtuntur *iuribus & obligationibus naturalibus*. Alioquin enim status *libertatis* naturalis cum statu *licentiae* confunditur.

## §. IV.

*Ius gentium est pars iuris naturalis.*

**Q**uapropter omnes in hoc (a) consentiunt, ius gentium *obiectiue* sumtum esse ipsum *ius naturae ad gentes applicatum*, illudque bene de-

---

(a) Fatente ipsomet HOBBSIO *de ciue* Cap. XIV. §. 4. *quia ciuitates semel institutae induunt proprietates hominum personales; lex, quam loquentes de hominum singulorum officio naturalem dicimus, applicata totis ciuitatibus, nationibus, siue gentibus, vocatur ius gentium.*

definit BVRLAMAQVIIVS (b), quod sit *ipsum naturale ius non singulis hominibus, sed populis, gentibus, imperiis, eorumque principibus \* accommodatum pro mutuo commercio, mutuisque imperiorum comodis.*

\* Quod iura principum, qua talium inter se, eadem sint, ac iura gentium, ex caractere maiestatis, quae in qualibet gente qua tali conspicua est, & penes solum principem in statu monarchico residet, abunde elucescit.

## §. V.

Hoc ius naturae ad gentes applicatum a nonnullis cum HVG. GROTIUS (c) ius gentium *internum*: ab aliis autem cum WOLFIO (d) nuncupatur ius gentium *naturale, necessarium*, quoniam in ipsa natura & relatione naturali gentium sufficientem rationem habet.

## §. VI.

Nihilominus haec essentia & natura gentium multum discrepat ab essentia & natura personarum singularium, vel societatum

A 2

(b) *Elem. Iur. Nat. Cap. VI. pag. 199.*

(c) *De I. B. & P. Lib. III. Cap. III. §. 6.*

(d) *Inst. I. N. & G. Lib. IV. Cap. I. §. 1088.*



*rum.* Atque ex hac differentia necessario oritur diuersa applicatio iuris naturae ad iura & officia gentium *qua talium.* Hinc intelligere licet, quatenus ius gentium vniuersale distinguatur a iure naturae latius sumto *non regulis, sed subiecto speciali & conclusionibus,* quae ius naturae *latius sumtum per naturam & relationem* gentium specificè determinant (e).

## §. VII.

*Non existit ius gentium voluntarium vniuersale,*

**Q**uandoquidem vero hae conclusiones iuris gentium vniuersalis ex principiis primitiuis iuris naturae nexu legitimo deriuari quæunt; sequitur, figmentum esse illud, quod cum GROTIUS (f) plures (g) a iure naturae adaequate discernunt, ius gentium *vniuersale, positium, voluntarium,* seu vt alii (h) vocant, se-

---

(e) ACHENWALL *I. Nat. Lib. IV. Sect. I. §. 213.* Et KEVFFEL *ad GROTIUM. Proleg. §. 6.*

(f) *De I. B. & P. Proleg. §. 17. & L. I. Cap. I. §. 14.*

(g) VITRIAR. *Inst. Iur. Nat. & Gent. Cap. I. §. 24.* HUBER *de iure ciuit. L. I. Cap. IV. §. 1.* RACHEL *diff. de iure gent. §. 16. & seq.* KVLPIUS *ad GROTIUM. Exercit. I. ad Lib. I. Cap. I. §. 9.*

(h) SELDENVS *de mari clauso L. I. C. III. Interueniens autem ius gentium esse dicimus, quod non ex communi*

*secundarium, quod non ex ratione naturali fluit, sed ex libera voluntate omnium, aut sane moratorum gentium vim obligandi accepit.*

### §. VIII.

**E**nimvero vel hoc ius concipitur vt ius *com-* *vt ius com-*  
*suetudinarium*, quod ex longis *vsibus* atque *suetudina-*  
*observantia* inter gentes ortum trahit; & obli- *rium.*  
 gationi *legali* ac *uniuersali* huius iuris plura  
 merito obmouentur. Nam 1) *Consuetudo*,  
 quatenus *lex* est, valet tantum in ciuitati-  
 bus ex *praesumpta summae potestatis approbatione*;  
 proinde inter gentes ob *defectum imperii* in  
 vim iuris inualescere nequit (i). 2) *Con-*  
*suetudines*, aut *mores gentium* habent me-  
 ram *rationem decori*, a cuius offensione gens  
 quaedam *inhumana* quidem, aut saltem *iniqua*,  
 non vero *iniusta* appellari potest (k). 3) *Sae-*

A 3

pius

---

*pluribus imperio, sed interueniente siue pacto, siue morum  
 vsu natum est, & ius gentium SECUNDARIUM sero  
 solet indigitari. Eius capita cernuntur in clarigatio-  
 nis, legationum, captiuorum, postliminii, foederum,  
 commerciorum, & id genus aliorum, pluribus gentibus,  
 interuenire solitorum iure.*

(i) THOMASIVS in *diff. de consuetudine iuris*. Et HER-  
 TIVS in *comment. de iure sect. I. §. 2.*

(k) BÖHMER *I. P. V. Part. gen. cap. 2. §. 6.*

pius conspicitur, consuetudines gentium esse *moraliter malas*: aut quatenus *bonae* sunt, earum dignationi minus quis consulit reiiciendo in simplex gentium arbitrium ea, quae ipsa lex *naturae* imperat (1).

## §. IX.

*Neque ut  
ius pacti-  
tium.*

Vel hoc ius gentium *voluntarium* ex magis vulgari DD. hypothefi consideratur tanquam ius *pactitium*, quod consensui aut pactis gentium *tacitis*\* innititur; & in hac acceptio-  
ne ius gentium 1) est complexus *pactorum*, non legum (m). 2) Ex hoc iure pactitio enascitur ius gentium non vniuersale, sed *particulare*, cuius obligatio solum pertinet ad gentes *pacifcentes*, nequaquam vero obtrudi potest gentibus *renitentibus*, aut vix nomine cognitis, cum quibus nullum hactenus *commercium*, aut *pactio* reliquis gentibus interces-  
sit (n). Quin & 3) plurá, quae proprie iuris *naturae* sunt, & ob vniuersalem huius iuris vim apud gentes plerasque se exferunt,  
huic

(1) HOCHSTETTER *Colleg. PVFEND. Exerc. III. §. 18.*

(m) HEINECC. *ad PVFEND. Proleg. §. 2.*

(n) LINCKER *ad HYBER. de Iur. ciu. Lib. I. Cap. IV. not. a:*  
& DARIES *obseru. Iur. Nat. Soc. & Gent. VI. §. 22.*

huic iuri gentium *pactitio* perperam imputari videas (o). 4) Denique tale ius *pactitium* minus accurate ius gentium vocari, vel inde liquet, quod nec si quid inter priuatos conuenit, id ius ciuile nuncupari queat.

\* Diximus *pactis tacitis*. Nemo enim contendit, ius gentium *pactitium* vniuersale constare *pactis expressis*, quia nunquam orbis vidit commune gentium concilium, in quo gentes de statuendo sibi iure vniuersali deliberarint, aut plane concluderint.

§. X.

Neque magis solidum iuris gentium *voluntarii vniuersalis* fundamentum cum *WOL-*  
*FIO* (p) deprehendimus in notione *ciuitatis*  
*gentium maximae*, cuius *membra*, seu veluti *ciues*  
*reputantur singulae* gentes. Nam 1) gentes *fin-*  
*gulae* sunt *ciuitates liberae*, quae ab omni  
*vnione & imperio ciuili* vacuae sunt, atque adeo  
 haec notio *ciuitatis*, & inde promanans *superio-*  
*ritas* gentium *collecliuè* sumptarum cum idea *li-*  
*ber-*

(o) Cocceius *diff. prooem. IV. C. II. §. 41. ubi curate demon-*  
*strat, leges, quas Grotius iuri gentium, voluntario*  
*tribuit, vel plane non esse leges, vel ipsas leges naturae.*

(p) *Iur. Gen. Proleg. §. 19. & seq. & Inst. Iur. Nat. &*  
*Gen. P. IV. Cap. 1. §. 1090.*

*bertatis naturalis*, quae singulis gentibus propria est, aperte pugnat. Et sane 2) quum societas *uniuersalis* gentium ex ipsa *natura* fluat, ideoque fit *absoluta* ac *necessaria*; consequens est, vt ius gentium, quod determinat primario iura & obligationes sociales huius societatis *perfectas negatiuas*\*, non sit voluntarium aut positium, sed sit ius gentium *naturale*, *sociale* *latius dictum*, & *necessarium* (q).

\* Iura quippe & officia *absoluta affirmatiua* inter gentes nonnisi *imperfecta* esse, dubio caret.

## §. XI.

*Nulla est  
compara-  
tio status  
gentium  
cum statu  
ciuitatis  
democraticae.*

Sed & a *statu ciuitatis democratico*, in quo penes *populum* COLLECTIM spectatum IMPERIVM, penes SINGVLOS vero ex *populo* SVBIECTIO est, nulla valet argumentatio ad statum gentium, quasi in hoc gentes *separatim* acceptae debeant

(q) Conf. NETTELBLADT *Iurisprud. Nat. Sect. III. Tit. I. §. 175.* VATTEL *droit des gens. proleg. §. 6. & in praefat.* DARIES *Inst. Iurisprud. Nat. Part. Spec. Sect. VIII. Cap. I. §. 945.*, ex cuius doctrina (*Par. Spec. Sect. III. §. 521. Schol.*) simul animaduertimus, societatem a socialitate distinguendam esse, & illam inter gentes negari, hanc affirmari, seu nomine societatis absolutae & vniuersalis insigniri posse.

ant agnoscere imperium gentium *collectiue sum-  
sarum*. Enimvero in statu democratico per  
pactum *speciale subiectionis* ciues singuli subiecti  
sunt imperio corporis popularis: idem vero  
pactum *submissionis* gentium *singularum* respectu  
vniuersitatis gentium in statu *libertatis naturali*  
penitus exulat.

## §. XII.

**N**eque dissentientes cum P. SCHMIER (r) *Libertas*  
regerant, *vnam gentem censeri liberam, qua-* *gentium*  
*tenus alteri non est obnoxia, seu, quod idem est,* *singula-*  
*vnam gentem in sua republica supremam esse, nulli-* *rum intui-*  
*que alteri in eadem linea subiectam, non tamen esse* *tu vniuer-*  
*supremam in republica vniuersali, quae ex omnibus* *sitatis gen-*  
*gentibus insurgit.* *tium asse-*  
*Etenim quemadmodum ex-* *ritur.*  
inde, quod vnus ciuis in republica alteri  
non sit subiectus, nemo arguet, vnum dici  
*liberum* libertate status *naturalis*, vtpote quae  
imperium *humanum* absolute respuit; ita pari-  
ter, etiamsi vna gens ab altera non depen-  
deat, admissa tamen hypothese, qua singulae  
gentes imperio *humano* gentium *vniuersarum*

A 5

sub-

(r) *Iurispr. Can. Civ. Lib. I. T. I. Cap. IV. §. Sect. I. §. 24*  
*num. 12.*

submittuntur, illis singulis sua libertas naturalis suapte detrahitur (s).

### §. XIII.

*De gentium uniuersale est immutabile & perpetuum.*

Caeterum quoniam ius gentium uniuersale iuxta haec tenus corroborata nihil aliud est, quam *ius naturae ad gentes applicatum*: ius naturae autem ob necessariam connexionem cum essentia & natura humana *immutabile est & perpetuum* (t)\*; protinus liquet, ius gentium *uniuersale*, quod cum *essentia & natura gentium* necessario coniunctum, ab eaque inseparabile est, stante *essentia & natura gentium esse immutabile ac perpetuum*, adeo, ut nulla gens se ab huius iuris obligatione eximere, aut liberare possit.

\* Quoad hanc proprietatem discernitur quoque a iure gentium *naturali & uniuersali* ius gentium *consuetudinarium* aut *positiuium particulare*, cuius immutatio per contrarium usum, aut conuentionem nullatenus implicat. Quin multo magis liberae immutationi subest ius gentium *improprie tale*, seu, iuxta phrasin SELDENI, *domesticum*, quatenus denotat legem

(s) GLETTLE *Iurispr. fundam.* L. I. T. II. §. 3. num. 2., *quamuis in thesi nobis contrarius.*

(t) WOLF. *Inst. I. N. & G. Part. C. III. §. 49.*

legem *positivam*, aut *ciuilem* pluribus gentibus sine *mutua obligatione* communem, siquidem illud ad vsum & formam cuiusuis ciuitatis absque consideratione & iniuria aliarum gentium *efformari* potest: at vero huius iuris tractationem a praesenti instituto alienam esse, nemo non intelligit (u).

§. XIV,

**P**orro ex eodem fonte deriuatur, vt distinctio iuris naturae in *connatum*, seu *absolutum*, quod officia *connata absoluta*, seu *communia* & in *hypotheticum*, quod officia *adquisita hypothetica*, siue *specialia* comprehendit: & absoluti in *perfectum* seu *cogens*, ex quo obligatio *perfecta* & in *imperfectum* seu *inuitans*, ex quo obligatio *imperfecta* \* progignitur, iuri gentium vniuersali quoque applicari debeat.

*Est vel absolutum, vel hypotheticum: & absolutum vel perfectum, vel imperfectum.*

\* Notes tamen cum WOLFIO (w), hanc obligationem esse imperfectam non intuitu *legis*, quasi obligatio naturalis imperfecta sit, vt aliquid libertati agentis relictum maneat, vtrum eidem satisfacere velit an nolit, quod *ideae legis & obligationis* essentiali repugnaret: sed respectu *hominis*, aut *gentis*, quia petens cogere nequit alterum, vt eam adimpleat.

§. XV.

(u) Conf. DARIUS *Inst. I. V. Part. Spec. Sect. VIII. C. I.*

§. 948. *Schol.*

(w) *Inst. Iur. Nat. & Gent. P. I. C. III. §. 80.*



## §. XV.

*Principia  
iuris gen-  
tium uni-  
uersalis  
essendi,  
existendi  
& cogno-  
scendi per  
quod.*

Viterius *ex identitate* iuris gentium vniuersalis cum iure naturae (x) facilis est discussio *de principiis* iuris gentium vniuersalis *essendi, existendi, & cognoscendi per quod*. Nimirum quod principium *essendi* iuris gentium vniuersalis attinet, illud in ipsa *essentia* gentium conspicitur. Deinde pro principio existendi *immediato, essentiam gentium existentem*: pro *mediato voluntatem DEI ut authoris naturae obligatoriam* assumimus. Principium autem *cognoscendi per quod*, siue *subiectiuum*, esse *rationem subiectiue sumptam* sua sponte constat.

## §. XVI.

*Principium  
cognoscendi ex  
quo est  
aequalitas  
& perfectio  
gentium.*

Tandem si de principio *cognoscendi ex quo*, seu *obiectiuo* iuris gentium vniuersalis sermo sit, illud in *notione & fine naturali*, qui est *aequalitas & perfectio* gentium (y), collocamus. Inde tuto inferimus, propositionem fundamentalem iuris gentium vniuersalis esse talem: *quidquid aequalitati & perfectioni gentium conuenit, illud inter gentes bonum & faciendum: quid-*

(x) *Conf. Systema I. P. V. Proleg. C. I. §. 12. seq.*

(y) *Systema, I. P. V. l. c.*

quidquid autem illi repugnat, illud inter gentes malum ac omittendum est.

\*Probe notare velis, sermonem hic nobis esse de principio *cognoscitivo* iuris gentium *socialis* quoad officia gentium *relativa*, & *salva subordinatione* ad officia maxime *fundamentalia* & supremi ordinis *erga DEVM*, prouti haec ex disciplina iuris naturae *lato* talis praesupponuntur, & speciatim *euoluta* sunt a perill. de MARTINI (2).

### §. XVII.

Ex iure gentium *obiectiue* sumpto componitur *Definitio* eius gentium *systematice* sumptum, aut *pbilosophicum*, id est, *iurisprudencia specialis* gentium, *iuris gentium systematice summi, theoretici* quae est *scientia de his, quae inter gentes ex earum essentia & relatione naturali iusta vel iniusta sunt, & practici* atque etiam *theoria & praxi constat*, prout circa *cognitionem* legum & *adplicationem* earum ad facta gentium *versatur*.

### §. XVIII.

Quumque *iurisprudencia* gentium sit pars *De certitudine eius mathematica.* *iurisprudenciae naturalis*; manifestum est, eam pollere *certitudine mathematica*, quatenus *veritates* iuris gentium ex *primitivis* atque *evidentibus* iuris naturae principiis *legitime* seu *sylogistice* deducuntur. (§. VII.)

### §. XIX.

---

(2) *In posit. de lege naturali Cap. VIII.*

## §. XIX.

*Necessitas  
& utilitas  
iurispru-  
dentiae  
gentium.*

**N**ecessitas & utilitas iurisprudentiae gentium conspicua est ex causis sequentibus :  
 Nam 1) iura , officia & controuersiae *gentium liberarum*, quae nulli iuri *humano* subsunt , ex hac parte iuris naturalis suam *normam* ac *definitionem vnice* recipiunt. 2) Ius gentium constat ex conclusionibus iuris naturae *remotioribus*, & ad *specificam* naturam ac nexum gentium accommodatis , quae exactiori *ratiocinatione* & *manuductione* indigent. . Accedit , quod 3) auctoritas iuris gentium vniuersalis pro iudicandis *moribus* gentium quoad eorum iustitiam, vel iniustitiam, & pro *interpretatione* pactorum inter gentes particularium necessarium fundamentum praebet.

## §. XX.

*Non ob-  
stante dif-  
ficili cu-  
stodia &  
rat, ali-  
quis arguet,  
omnem de  
officiis  
gentium  
doctrinam  
esse inu-  
tilem ; si-  
quidem  
alias se-  
quere-  
tur , non  
tradenda  
esse offi-  
cia , quae  
lex na-  
turae ho-  
minibus  
singulis  
praescri-  
bit, pro-  
pterea  
quod ho-  
mines ea  
negligant,  
nec fieri  
pos-  
sit, vt  
omnes  
iisdem  
satisfacere  
studeant.  
Et*

**N**eque exinde , quod *inter gentes custodia*, aut *saltem executio iuris naturae* difficulter se *execurat*, aliquis arguet, *omnem de officiis gentium doctrinam esse inutilem* ; siquidem alias sequeretur , non tradenda esse officia , quae lex naturae hominibus *singulis* praescribit, propterea quod homines ea negligant, nec fieri possit, vt omnes iisdem satisfacere studeant. Et

quem-

quemadmodum bene sperandum est de hominibus, vt saltem aliqui officiis suis naturalibus satisfaciant, si ea norint; ita similiter idem sperare de multis saltem gentibus plane oportet.

§. XXI.

Quandoquidem status gentium naturalis *Ordo systematis.* est vel *pacis*, vel *belli*; ius gentium vniuersale dispesci debet in ius gentium *pacis* & *belli*. Et quoniam ius gentium in statu *pacifico* duplex est, vel *connatum* seu *absolutum*, vel *adquisitum* seu *hypotheticum* (§. XIV.), ius vero gentium *belli* praecise est *hypotheticum*, vtpote causam habens ex *facto iniusto laesionis*; hinc triplex deducitur pars huius systematis. *Prima* ius gentium *pacis connatum*, siue *absolutum* circa iura & officia gentium *erga alias absoluta* tum *imperfecta* tum *perfecta* praemissis officiis singularum gentium *erga seipsas*, vtpote, quae officiis gentium *socialibus erga se inuicem* lucem & mensuram praebent, sistet. *Secunda* ius gentium *pacis adquisitum* seu *hypotheticum* in iuribus & officiis gentium *erga se inuicem adquisitis*, seu *hypotheticis* circa *dominia, pactiones*  
&

& foedera euoluet. In *tertia* ius *belli* gentium, subnectendo de *passione pacis*, utpote, quae finem bello facit, & de *legationibus*, quarum ope negotia & tractatus gentium in pace & bello expediri solent, curate enotabuntur.

\* Censuram eorum, qui officia absoluta gentium *erga DEVM*, & relatiua *circa sermonem* in hoc systemate forte desiderant, facile amouemus scopo instituti nostri, cui conuenit, ut versetur in iure gentium *sociali* & *specifico* circa obligationes gentium *sociales* & determinationes *proprias*: non vero nos ingeramus in officia gentium mere *moralia*, & cum *hominibus singulis* quoad suas determinationes omnimodo *communia*, qualia officia gentium *erga DEVM* & *circa sermonem* esse ex iure naturae late tali abunde discimus.



PARS



# P A R S I.

## IUS GENTIVM CONNATVM SEV ABSOLVTVM.

### CAPVT I.

#### DE IVRIBVS ABSOLVTIS ET OFFICIIS GENTIVM ERGA SE IPSAS.

##### §. I.

**E**x praemissis (*in proleg. §. 3.*) gentes quae tales sunt personae *morales* in statu *naturali* ob identitatem iurium & obligationum naturalium inter se *aequales* & praeterea *liberae*. Quamobrem eadem iura *absoluta* & officia *erga se ipsas* gentibus quae talibus conueniunt, quae ex hac *aequalitate morali* ac *libertate* gentium deriuantur.

Schrodt I. G.

B

§. II.

## §. II.

Ius & officium gentis se conferuandi & perficiendi.

**I**urium absolutorum & officiorum naturalium erga se principale fundamentum est: *conferua & perfice te.* Inter iura itaque *aequalitatis & libertatis absoluta*, & officia gentium *erga se ipsas* naturalia primum est *obligatio & ius* cuiuslibet gentis, *se conferuandi & perficiendi.*

- Non sine ratione diximus: *obligatio & ius*, vt denotetur ius gentium se conferuandi & perficiendi deriuari ex obligatione *primitiua* naturali *ad suam conseruationem*, ideoque esse ius *striete* tale.

## §. III.

Quoad suam consociationem ciuilem,

**C**onseruatio est *duratio existentiae* (a). Enimvero existentia gentis consistit in *consociatione ciuili*; igitur *conseruatio* gentis consistit in *duratione consociationis ciuilis*, ac per consequens cuiuslibet genti competit ius & officium *conferuandi suam consociationem ciuilem* (b).

## §. IV.

Et formam publicam, ac leges fundamentales.

**A**d consociationem ciuilem spectat *forma specialis & subsistentia legum fundamentalium* (c);

---

pro-

(a) *Per Princ. Ontol.*

(b) *WOLF. Inst. Iur. Nat. & Gent. P. IV. C. II. §. 1.*

(c) *System. I. P. V. Part. I, C. III.*

proinde quaelibet gens gaudet iure conferuandi *formam publicam & leges fundamentales* suae ciuitatis.

## §. V.

**P**orro cum confociatione ciuili connexa est <sup>Tuendi sin-</sup> conferuatio *uniuersorum & singularum ciui-* <sup>gula ciui-</sup> *tatis membrorum.* <sup>tatis mem-</sup> Qua ex re sequitur, vt penes <sup>bra.</sup> singulas gentes, vi iuris ad sui conferuatio- nem, existat obligatio & ius, *conferuandi omnia & singula ciuitatis membra*, simulque *protegen- di ipsorum vitam, corpus, res, iuraque quaelibet.*

\* Hoc ius gentis conferuandi & tuendi singula ciui- tatis membra ea ratione, quatenus per interitum singulorum ciuium gens fit debilior, ex iure & offi- cio gentis *erga se ipsam* repetitur: quatenus vero idem ius & officium gentis congruit fini *essenti* so- cietatis ciuilis, ad iura & officia *imperii ciuilis pub- lica* pertinet. Quare in priori relatione illud ad ius *gentium* hoc loco cum VATELIO (d): in poste- riori respectu ad ius *publicum uniuersale* cum WOL- FIO (e) referimus.

## §. VI.

**T**andem destructa existentia ponitur *interi-* <sup>Pracca-</sup> *tus gentis.* Quoniam itaque ex *iure ad* <sup>uendi &</sup> *bonum* <sup>uitandi</sup> *interitum.*

B 2

(d) *Droit des gens Liv. I. Chap. II. §. 17.*

(e) *Iur. Gent. Cap. I. §. 28. in not.*



*bonum positivum sequitur ius ad remouendum in alium contrarium; vi iuris naturalis conuati in sui conseruationem cuiilibet genti datur ius, omne periculum interitus a se auertendi, & per consequens praecauendi & vitandi ea, quae sibi interitum offerre possunt.*

- \* Quibus modis contingat interitus ciuitatis liberae & consequenter gentis, in syst. I. P. V, Part. III. C. IV. satis ostensum est.

### §. VII.

*Ius ad media felicitatis publicae.*

**P**erfectio gentis conficitur *aptitudine adipiscendi finem ciuitatis, qui est felicitas publica (f).* Quamobrem, quum *obligatio & ius ad finem producant obligationem & ius ad media & remotionem impedimentorum fini contrariorum;* in iure & officio gentis, *se perficiendi,* comprehenditur ius & officium, *adhibendi media felicitati publicae sufficientia, & remouendi impedimenta felicitati publicae contraria.*

- \* Quomodo haec media felicitatis publicae debeant esse comparata, eleganter docet de IVSTI (g). Nempe, vt sint 1) *adcommodata statui* cuiuslibet ciuitatis, 2) *efficacissima,* 3) *expeditissima,* 4) *infa.*

(f) *System. I. P. V. Proleg. C. I. §. 18.*

(g) *Grundriß einer guten Regierung, Buch I. Hauptst. III. §. 78.*

*sa.* Quare in scientia & habitu eligendi ac exequendi media ad felicitatem publicam, vt finem, sufficientia, *sapientiam & prudentiam* cuiuslibet gentis conspicere licet.

## §. VIII.

**F**elicitatem gentis publicam quatuor consti- Partes felicitatis publicae.  
tuunt: *libertas* nempe *politica*, *sufficientia vitae*, *potentia interna*, & *securitas*. Quamobrem ex obligatione naturali gentis ad suam perfectionem nascitur illi ius & officium, *tuendi suam libertatem politicam*, *sufficientiam vitae*, *potentiam internam*, & *securitatem*.

## §. IX.

**L**ibertas *politica* gentis aestimatur ex eo, si Ius circa libertatem politicam.  
gens non fit *subiecta imperio* gentis extraneae, nec in eo degat statu, vt voluntati gentis extraneae propter praevalentem eius potentiam, cui resistere nequit, suas actiones conformare coacta sit. Qua de causa quaelibet gens habet ius & officium, conseruandi suam *independentiam* tum *ab imperio*, tum a potentia gentis extraneae *noxie* praeualente.

\* Hic tamen notetur, *libertatem politicam* priori ratione ad *essentiam* gentis *qua talis*: posteriori modo ad

*perfectiorem* eiusdem spectare, & simul conferantur ea, quae de sic dicta ratione *aquilibris* infra (P. III.) disquirendi occasio dabitur.

\*\* Ex eo, quod media felicitatis publicae oporteat esse accommodata statui cuiuslibet ciuitatis (§. 7.\*); in mediis felicitatis publicae magnam difformitatem ex parte gentium *potentiorum & minus potentum* dignoscere necesse est.

## §. X.

*Ius cum  
limitandi  
in casu  
necessita-  
tis.*

Quandoquidem vero gens *in statu extraordinario, seu in collisione maioris & minoris mali* habet ius, eligendi minus malum; sequitur, licitum esse, vt gens in casu *necessitatis* se submittat imperio gentis extraneae, aut saltem foedere *inaequali* de colenda *comiter* alterius gentis maiestate, vel nexu *feudali*, siue *tributaris* se obstringat.

## §. XI.

*Haec limitatio seruanda iuxta pactum.*

Attamen quoniam limites subiectionis *voluntariae*, aut *simplicis* obligationis metiendi sunt *ex pacto*; gens, quae plus iuris in alteram sibi arrogat, quam de quo in pacto fuit conuentum, *iniuriam* facit, atque adeo *ad resarcitionem damni perfectae* obligatur.

\* Re-

\* Reflectendum hic ad ea, quae dicta sunt in systemate I. P. V. Part. I. Cap. IV. §. 29. & seq., quomodo neque foedus *inaequale de colenda comiter alterius gentis maiestate*, neque nexus *feudalis*, nec *pensatio tributi* diminutionem maiestatis per se inferant.

## §. XII.

**V**i iuris ad sufficientiam vitae positam in *ius & media ad sufficientiam* abundantia eorum, quae ad vitae necessitatem, *scientiam*, commoditatem & iucunditatem requiruntur, cuiuslibet genti proprium est ius, *vita.* *proventum naturalem rerum in suo territorio conseruandi*, & opera *ciuium multiplicandi*, aut res, quas natura haud profert, arte parandi. Inde producitur ius & officium cuiuslibet gentis ad ordinandam *oeconomiam urbicam & ruralem*, ad *agriculturam*, ad rem pecuariam, ad fouendas *artes*, ad *opificia* ex praelatione rerum *necessariorum* prae *utilibus*, & *utilium* prae *voluptuariis* secundum legem naturae *perfectiuam* determinanda.

\* Hic velim conferas ea, quae de his speciatim discutunt scriptores scientiae *politicae, oeconomicae & camerae*, praecipue de IVSTI in *der Staatswirthschaft*, Theil I. Abschnitt II. Hauptst. I. und II.

## §. XIII.

*Definitio  
commer-  
ciorum.*

**E**adem sufficientia vitae maxime procura-  
tur *commerciis*. Ac proinde officia cuius-  
libet gentis *erga se ipsam* postulant curam *cir-  
ca commercium*, quo nomine venit *ius*, ementi  
vendendique *res quascunque mobiles & mouentes*,  
tam *necessarias*, quam *utiles & voluptuarias*.

## §. XIV.

*Sunt vel  
interna,  
vel exter-  
na, & haec  
vel actiua,  
vel passiua.*

**C**ommerciolorum summa diuisio est in *inter-  
na*, quae inter se exercent *ciues eidem im-  
perio civili subiecti*: & in *externa*, quae exercentur  
*cum gentibus aliis, aut cum peregrinis*. Ex-  
terna rursus sunt *actiua*, vel *passiua*, prouti per  
mercium *exportationem*, aut per mercium *in-  
uentionem* expediuntur.

## §. XV.

*Ius gentis  
circa com-  
mercia.*

**I**us & officium gentis circa *commercia* secun-  
dum ideam iuris & officii gentis *erga se ip-  
sam* consistit in *iure & officio*, *commercia dirigen-  
di*, prouti *salus publica* eo fine, vt *respublica*  
bonis *publicis* instructa sit, exigit. Huic scopo  
conuenienter 1) statuit, *quae merces exportan-  
dae, vel importandae*: 2) *cum quibus commercia*  
*exercenda, vel non*, definit: 3) prohibet, *quae*  
com-

*commercia destruere, & praecipit, quae florem eorum promouere, & bilancem tueri possunt (h).*

\* Comoda commerciorum *internorum & externorum* specialia intuitu cuiuslibet gentis iuxta VATELLVM (i) absoluuntur in his, vt promoueatur *circulatio pecuniae*, excitetur *industria*, animentur *operae* ciuium, prospiciatur plurium incolarum *alimentatio*, ac proinde *populatio* & *confectaria* ciuitatis *potentia* augeatur, atque vt commerciis *speciatim externis* *aliquis diuitiae ciuitatis publicae* singulare incrementum nanciscantur.

\*\* In commercio *lucrum totius ciuitatis* a lucro *mercatorum* probe secerni debet. Quare iura & bona *privata* mercatorum bono *publico* subordinata, ac per consequens *dominio eminenti* summi in ciuitate imperantis subiecta esse, ex principiis I. P. V. abunde elucefcit.

\*\*\* Haec de commerciis hoc loco sufficiant. Quatenus enim *libertas commerciorum* & obligatio, promouendi *commercia*, gentibus *inter se inuicem* communis est, infra Cap. II. definiendum.

§. XVI.

Quod ad *potentiam* & connexam *securitatem* \* *Ius gentis* gentis attinet, ea ponitur in *efficacia vi-* circa su-  
am *poten-*  
tiam & *se-*  
curitatem.

B 5

(h) NETTELBLADT *Iurisp. Nat. Ciu. L. II. Sect. I. memb. I.*

(i) *Droit des gens. Liv. I. Chap. VIII. §. 84. & seq.*

*rium ad resistendum vi externae.* Quamobrem quaelibet gens habet ius & officium, tuendi suam potentiam, seu comparandi & tuendi vires efficaces, quibus vi aliarum gentium resistere valet, & consequenter *secura est.*

\* Loquimur hic de securitate *externa*, seu *relatiua* ad gentes externas. Nam iura securitatis *internae* seu iura maiestatis *immanentia* in syst. I. P. V. Part. II iam explanata habes.

### §. XVII.

*Ius ad media potentiae & securitatis.*

**E**t quoniam ex iure & obligatione ad finem sequitur ius & obligatio ad media fini sufficientia: media autem, tuendi potentiam aut securitatem gentis, sunt *multitudo incolarum, bene numerosa & ordinata militia, abundantia bonorum tam publicorum, quam priuatorum, & cultura ciuium*; facile patet, penes quamlibet gentem esse ius & officium efficiendi, ut *multitudo incolarum, numerus & disciplina militaris, abundantia bonorum tam publicorum, quam priuatorum, & cultura ciuium* intra fines sui territorii efflorescant.

\* Huc referas, quae de modis promouendi *multitudinem incolarum*, de statu *militari*, de bonis regni *domanialibus*, de *collektis*, de *metallurgia*, & re *monetaria*, de cultura ciuium per virtutes *intellectuales & morales*,

*les, per artes & opificia prolixius tractant VATTESLIYS (k) & de IVSTI (l).*

### §. XVIII.

**A**t vero cum iure naturae pugnat, vt ad *Non tam iniusta.* consequendum finem iustum adhibeantur media *iniusta*; iniustum autem illud est, quod fit contra ius *perfectum* alterius; hinc cuilibet genti iure naturae prohibitum est, ad augendam suam potentiam vti talibus mediis, quae cum *laesione iuris perfecti* gentium externarum coniuncta sunt. Atque hinc patet, *oppressionem aliorum, suae potentiae augendae causa, naturaliter inter gentes iniustam esse.*

### §. XIX.

**T**andem plura confectionaria demonstrant, *Ius gentis circa suam existimationem.* felicitatis gentis insignem praesidium esse *bonam existimationem & gloriam, quae consistit in consentiente iudicio bonorum ac peritorum, seu bene iudicantium de perfectione gentis.* Quamobrem ex iure & obligatione naturali cuiuslibet gentis ad suam felicitatem deriuatur ius & of-

(k) *Droit des gens. Liv. I. Chap. VI. & seq.*

(l) *Commerciawissenschaft, Buch I. Abtheil. II.*



officium eius, *bonam* suam *existimationem* & *gloriam* tum conferuandi, tum promouendi.

\* Talia consecraria *bonae existimationis* & *gloriae* inter gentes sunt *respectus auctoritatis*, *laus*, *honor*, *amor*, & *validitas actuum publicorum*.

## §. XX.

*Ad media  
bonae exi-  
stimatio-  
nis & glo-  
riam.* **P**erfectio gentis, ex qua consentiens benignum iudicium bonorum & peritorum elicitor, in se comprehendit *virtutes intellectuales & morales*, *iustitiam* & *usum bonum potentiae*. Inde manifestum fit, quod quaelibet gens *virtutes intellectuales & morales*, *iustitiam*, atque *usum bonum potentiae* colere ex amore erga *se ipsam* obligetur.

\* Praeter consecraria §. 19. \* relata pars *bonae existimationis* inter gentes est *fides gentium publica*, quae triplex est: *politica*, *moralis*, & *mercatoria*. *Fides gentis politica* est *opinio iustae potentiae*, quod gens non solum aliis obesse & prodesse queat, sed etiam *vi & potestate sua iuste uti soleat*. *Fides gentis moralis* est *opinio*, siue *bona sententia de gentis probitate & iustitia*, ac quae inde manat, *inviolata pactorum custodia*. *Fides gentis mercatoria* est *opinio securitatis pecuniae concre-*  
ditae

*ditae & facilitatis eam stato tempore a gente creditrice prompte recuperandi (m).*

## §. XXI.

**P**ositio unius oppositi excludit alterum oppositum: *Obligatio*  
 verum perfectioni gentis morali opposi- *cuitandi*  
 ta est *improbitas*, aut *barbaries* gentis; igitur per *improbita-*  
 improbitatem, aut barbariem destruitur bona *tem & bar-*  
*bariem.*  
 gentis existimatio; imo *infamia* enascitur,  
 consequenter, quum infamia producat *infeli-*  
*citatem* gentis \*; quaelibet gens *per propriam*  
*salutem* obligatur *eo dispiciendi*, *ne sit improba*,  
*aut barbara* (n).

\* Hoc rursus eruitur ex malis consecrariis *infamiae*  
 in statu gentium naturali, qualia sunt *contemptus*,  
*diffidentia*, *aversatio*, *denegatio auxilii*, imo *conspira-*  
*tio communis aliarum gentium ad oppressionem gentis im-*  
*probae, aut barbarae.*

## §. XXII.

(m) Confer. GOTTL. SAM. TREVER *diff. de auctoritate*  
*& fide gentium & verumpublicarum.*

(n) Confer. SCHIERSCHMIED *Elem. Iur. Nat. soc. & gent.*  
*Part. III, Cap. I, §. 544.*

## §. XXII.

*Iura & of-  
ficia gentis  
ad suam  
felicitatem  
pertinent  
ad τὸ su-  
um gentis.*

**P**ro coronide generaliter animaduertimus; iura & officia gentis *circa suam felicitatem*, vtpote quae ex libertate & obligatione naturali *se conseruandi ac perficiendi* fluunt, constituere τὸ suum gentis. Quemadmodum itaque ad τὸ suum singulis datur ius naturale *strictum & perfectum*; ita cuiilibet genti competit ius naturale *strictum & perfectum* ad iura & officia *circa sui conseruationem & propriam felicitatem*, in quantum id *physice & moraliter* competere potest. Atque ex hoc fonte deriuantur iura gentium naturalia *securitatis, indemnitatis, praecautiois & belli*, de quo iure posteriori speciatim parte III. agendum.



CAPVT

## CAPVT II.

### DE OFFICIIS GENTIVM ABSOLVTIS PERFECTIS ERGA SE INVICEM.

#### §. I.

**E**xplicatis iuribus *absolutis* & officiis gentium *erga se ipsas* facilius intelligi possunt officia gentium *relatiua*, quae sunt vel *absoluta* (*generalia*), quae ex ipsa *essentia* & *natura* gentium *per se* & *absolute* proueniunt: vel *hypothetica* (*specialia*), quae demum posito *facto iuridico* concipi queunt. Porro officia *absoluta* sunt vel *perfecta*, vel *imperfecta*, prouti vna gens aut tantum *non detrahit* aliarum perfectionibus, aut eas quoque *pro virili promouet*. Priora 1) sunt officia *negatiua*: posteriora *affirmatiua absoluta*. Priora 2) pertinent ad iustitiam *stricte* talem, seu *expletricem*: posteriora spectant ad iustitiam *late* talem, seu *attributricem*. Prioribus 3) correlatum est ius *perfectum cogendi* ex parte eius, cui praestari debent: posteriora vero *coactionem*, salua *libertate*

*bertate naturali*, respuunt. 4) Gens, quae illa non praestat, est *iniusta*: quae vero haec denegat, *inhumana*; *iniqua* nuncupatur (o).

\* Notandum cum DARIÉSIO (p), in iurisprudencia naturali & gentium iura & officia *absoluta* aliud significare in oppositione *ad relativa* (cap. I.); aliud in oppositione *ad hypotetica*.

### §. II.

*Fundamentum officiorum perfectorum absolutorum inter gentes.*

**O**fficia *perfecta absoluta* gentium erga *se inuicem* continentur in hac propositione fundamentali, vt *una gens alteram non laedat*, siue eius *statum non reddat imperfectiorem*. Quoniam itaque status *essentialis* gentium est status *aequalitatis ac libertatis naturalis*; sequitur, inter officia *perfecta absoluta* gentium erga *se inuicem suum* & *fundamentale* esse officium *de non violanda gentium aequalitate ac libertate naturali*.

### §. III.

*Negatur praerogatiua & praecedentia inter gentes.*

**E**x aequalitate gentium naturali per modum confectarii fluit, naturaliter nullam inter gentes existere *praerogatiuam & praecedentiam*. Et quoniam praerogatiua consistit *in iure*,  
quod

(o) Conf. HEINEC. *ad PVFENDORF Lib. I. Cap. VIII. §. 1.*

(p) *Observ. I. N. soc. & gent. 37. §. 3. sub.*

quod alicui prae aliis, eodem iure caeteroquin utentibus, competit; inde nulla gens naturaliter ius quoddam sibi arrogare potest, quod aliis gentibus non competit, & quod ius uni genti est in alias, id etiam caeteris singulis commune est (q).

## §. IV.

Nec sufficientem rationem praerogativae aut praecedentiae inter gentes reperimus in qualitatibus, seu determinationibus accidentariis, aut individualibus singularum gentium, cuiusmodi sunt potentia, cultura, virtus praestantior, antiquitas gentis, forma civitatis excellentior, maiestas ex populorum, aut regnorum pluralitate multiplicata. Siquidem hae qualitates seu determinationes accidentariae & individuales gentium separatim sumptarum nihil officiant aequalitati morali gentium inter se, aut nullam relationem habent ad alias gentes, vel ex iis ratio non nisi decori depromitur, praeterquam quod earum origo ac aestimatio inter gentes valde obscura sit atque difficilis (r).

## §. V.

(q) WOLF. *Iur. Gent. Cap. II. §. 237. & seq.*

(r) CONF. PUFENDORF. *Iur. Nat. & Gent. L. VIII. Cap. IV. §. 15. & seq.*

## §. V.

*Inae proë-*  
*d-iae inter*  
*gentes uni-*  
*ce pactita-*  
*um, aut*  
*consuetu-*  
*dinarium.*

**Q**uandoquidem tamen *singulae gentes iuri suo* renunciare possunt, atque *praecedentia loci* subsistit *salua aequalitate gentium morali*; facile intelligimus, quomodo *fundamentum legale proëdriae* inter gentes *vnice* collocari possit *in conuentione gentium expressa* aut *tacita*\*, & per consequens *ius proëdriae* inter gentes ad *ius gentium* non necessarium & vniuersale, sed *pactitium* siue *consuetudinarium particulare* referri debeat (s).

- \* Huic iuri & titulo indubitatum praerogatiuum & proëdriam augustissimi & inuictissimi imperatoris nostri Romano - Germanici prae aliis regibus & gentibus subnixam esse, in iure publ. part. I. R. G. euictum est.

## §. VI.

*De succes-*  
*sione regi*  
*in locum*  
*populi libe-*  
*ri, & vi-*  
*cessim.*

**E**x his principiis facile decidi potest *quaestio*, quam GROTIUS (t) ponit: *quo loco* in *conuentibus gentium sedere debeat rex, aut senatus*

(s) Conf. IOANN. FRIDER. HOFMANN *in diff. de fundamento decidendi controuersias de praecedentia inter liberas gentes* Lipsiae an. 1721. & LVD-MART. KAHLE *diff. de praecedentia gentium*. Götting. 1738.

(t) L. II. C. IX. §. 8. Num. 3.

*tus, qui summum imperium in populum antea liberum suscepit? Scilicet eodem loco, quo ipse populus.* Nam talis rex, aut collegium optimatum vigore maiestatis repraesentat populum, consequenter respectu gentium extranearum vtitur *iure populi*, & eundem retinet locum, quem habuerat gens in statu populari. Sic & vicissim, notante GROTIUS (u), gens in statu populari eundem, qui regis fuerat, locum implet, quia rex *omne ius suum* adeoque & *dignitatem ac ordinem ex dispositione populi*, & ex eius *iure* habet. Idem ergo *ius*, eadem *dignitas* & idem *ordo*, deficiente rege, ad populum transit (w).

## §. VII.

**A**ltera quaestio est, *an inferior, occupans superioris regnum, eius ordinem quoque occupet?* Et victoris in locum regis vitti. Id, quod merito affirmamus, quia victor succedit *in omne ius regis vitti*, adeoque & in eius *ordinem & locum* (x).

C 2

§. VIII.

(u) *Eod. loc.*(w) COCCEIUS *ad* GROTIUS. *loc. cit.*(x) Idem *ad* GROTIUS. *Lib. II. Cap. V. §. 21.*



## §. VIII.

*Prohibita  
est gentis  
superbia.*

**A**equalitati gentium naturali maxime repugnat *fastus*, siue *superbia externa*, qua vna gens *temere* sese super alias extollit. Quapropter officia gentium erga se inuicem *absoluta perfecta* exigunt, vt quaelibet gens a *fastu*, siue *superbia externa* absteineat: & reliquis gentibus competit ius *perfectum non patiendi*, vt aliqua gens fit *fastuosa*, siue *superba*.

## §. IX.

*Et conatus  
alteram  
habendi  
pro subie-  
cta aut  
plane ser-  
ua.*

**P**orro ex idea *aequalitatis & libertatis naturalis* gentium elucescit, quod quaelibet gens sit *independens* ab imperio & iudicio gentium extranearum, quamdiu nihil facit, quod est contra ius *perfectum*: alterius. Inde concluditur, nefas esse genti, aliam habendi *pro subiecta* aut *plane serua*, quae nihil contra ius *perfectum* alterius deliquit (y).

## §. X.

*Negatur  
seruitus  
naturae*

**Q**uae quum ita sint, implicat illa, quam **ARISTOTELES** (z) personis & gentibus  
*stus*

(y) ACHENWALL I. N. L. IV. Sect. II. §. 219.

(z) Politic. L. I. C. II.

*stupidis* aut *incultis* imposuit, *seruitus naturae. inter gentes.*  
 Siquidem 1) status seruitutis non est mere naturalis, sed *praeternaturalis* & *aduentitius*, qui nonnisi *ex pacto* aut delicto *laesivo* inter gentes enascitur: & sane 2) *ex simplici stupiditate* aliquius gentis nulla in gentes extraneas redundat *laesio*, sed & 3) euidens est, ius naturale *libertatis*, praetextu *stupiditatis*, tali genti auferri non posse, imprimis quum gens in gentem non habeat ius de eius probitate aut prudentia *iudicandi* (a). Et tandem 4) etiamsi admittatur *naturalis aptitudo* quorundam populorum ad seruiendum, haec tamen nemini ius tribuit, illos ad subiectionem *cogendi* (b).

\* Hanc hypothesin de seruis *natura* talibus commentum esse ARISTOTELIS ex studio suae patriae, & pro coloranda ALEXANDRI M. causa excogitatum, decantata est eruditorum animaduersio.

## §. XI.

Neque cum DARIESIO (bb) ius imperii in gentes *stupidas* aut *incultas* deriuari potest *Respondetur Dariesio.*  
 C 3 *ex*

(a) COCCEIUS *ad* GROTIUM. L. II. C. XX. §. 1. *propos.* 5. 6. 6., L. II. C. XXII. §. 9. 10. 12.

(b) HENNIGES *ad* GROTIUM. *loc. cit.*

(bb) Discours über das Natur- und Völkerrecht  
*Part. spec. Sect. III. C. III. §. 589.*

*ex acquisitione iuris, quae fit expletione iuris, quoniam ius ad perficiendam culturam eiusmodi gentium gentibus cultoribus tribuit ius ad media fini sufficientia. Siquidem in aprico est, hoc ius esse imperfectum, cui nulla obligatio perfecta relativa ad sui culturam ex parte alicuius gentis stupidae, vel incultae correspondet. Atque adeo pro remedio huius culturae proportionato inferuit quidem beneficium doctrinae, non autem vis coactiua, quum manifesti iuris sit, beneficia nemini inuito esse obtrudenda (c).*

### §. XII.

*Libertas est  
ad rem  
ex una gen-  
tium in suo  
perio.* **V**lterius ex eadem idea *aequalitatis* ac *libertatis* gentium *naturalis* formatur regula, quod *nulla gens habeat ius turbandi, aut impediendi alteram in suis actionibus & exercitio summi imperii, aut sese immiscendi regimini alieno. Et quum ex hac obligatione partis vnius negatiua nascatur alteri ius perfectum, non patiendi laesionem eius sui; hinc quaelibet gens gaudet iure perfectum, non patiendi, ut altera gens ipsam impediatur in actionibus & exercitio summi imperii, aut regimini ipsius quomocumque immisceat (d).*

### §. XIII.

CLAUDEY *Recht der Vernunft C. II. §. 17.*  
 SÄMTERRECHT *C. II. §. 179.*  
 WOLF. *I. G. Cap. II. §. 256. & 269.*

## §. XIII.

**H**isce praemissis congrue hoc loco exami- De iure belli pro alienis subditis ob iniurias sui imperantis suscipiendi.  
 natur quaestio, *an gentibus extraneis liceat, subditos alienos etiam vi & BELLO def<sup>u</sup>nter ac iniuria suorum imperantium?* Sunt nempe, qui cum GROTI<sup>(e)</sup> distinguunt, an subditi insurgant contra legitimum imperantem propter iniurias tantum *priuat<sup>as</sup>* & minus *atroces*, an vero propter iniurias *publicas, manifestas & atroces*, aut plane *ob tyrannidem*. Priori casu *negant* gentibus extraneis competere ius *resistentiae violentae*, aut *belli pro subditis alienis suscipiendi*: posteriori casu *affirmant*.

## §. XIV.

**A**st verior, & quae ex praestructis haec- Negatur.  
 nus regulis per modum *corollarii* eruitur, conclusio est, *quod gentibus extraneis INDISTINCTE nulla detur facultas resistendi, aut ius belli pro alienis subditis ob iniurias sui imperantis*. Nam  
 1) per talem resistantiam gentes extraneae sibi arrogat ius *efficaciter sese immiscendi regimini alieno*, id quod cum *aequalitate & libertate gentium & independentia* maiestatis aperte pug-

C 4

nat.

(e) L. II. C. XXV. §. 8.

nat. Et sane 2) gens extranea ius *resistendi*, seu *sumendi arma* pro subditis *alienis* aduersus horum *imperantem* habet neque ex *iure populi subiecti*, vtpote qui desituitur iure *resistentiae* (f), nec ex *iure proprio*, quoniam non est *iudex* inter *principem extraneum*, eiusque subditos. Sed & 3) si de facto princeps esset *tyrannus* intuitu *suae* ciuitatis, sequeretur, illum esse *hostem suae ciuitatis*, non vero gentium *extraneorum*, ideoque ex hac causa nullum ius, *vi resistendi* principi *tyranno*, ad gentes *extraneas* deuolueretur (g).

\* Notandum dicitur: *efficaciter sese impiscendi*. Nam ius simplex *intercedendi*, saluis regulis prudentiae, vtpote ex obligatione charitatis imperfecta fluens hoc casu gentibus extraneis nemo abnuet.

### §. XV.

Respondetur Ino ad obic-  
tionem de  
iure natu-  
rali vin-  
dicandi  
iniuriam

Nec in contrarium mouet, quod cuiilibet datur ius vindicandi iniuriam tertio illatam in statu naturali, adeoque etiam gentibus extraneis saluum sit ius vindicandi iniurias imperantis extranei in suos subditos. Nam vel fermo est de iure  
vin-

(f) Syst. I. P. V. Part. III. C. I. §. 17. seq.

(g) CONF. OSIANDER & ZIEGLER ad GROT. loc. cit. & WOLF. I. Gent. C. II. §. 258.

*vindicandi iniuriam tertio* illatam *proprie* tali per *tertio illa*  
bellum *punitivum*; & illud gentibus extraneis *tam*  
nequaquam adstrui potest\*. Vel sermo est  
de iure *assistendi*; atque hoc ius genti extra-  
neae liberum quidem est ad salutem *tertia*  
*gentis* tuendam, quae iure belli gaudet: ces-  
sat autem intuitu *subditorum alienorum*, penes  
quos quum ius *resistendi* suo imperanti deficiat,  
nec alii *eorum nomine* resistere poterunt.

\* Huc inferuiunt, quae infra de bello *punitivo* discu-  
tuntur.

### §. XVI.

**R**ogantur dissentientes cum GROTIUS (h), *2do ad ar-*  
*gumentum*  
*de impedi-*  
*mento non*  
*resistendi*  
*subdito-*  
*rum perso-*  
*nali.*  
*impedimentum non resistendi, quod ratione sub-*  
*ditorum personale est, non transire in gentes exte-*  
*ras, quae nullo iuris vinculo eidem imperanti ob-*  
*strictae sunt.* Ast fallit haec ratio, siquidem  
impedimentum, quod hic est, non ex perso-  
nae *qualitate*, sed ex re & *causa*, id est, ab ipsa  
*libertate & aequalitate morali* summorum impe-  
rantium inter se provenire, vnusquisque in-  
telligit (i).

C 5

§. XVII.

(h) *Loc. cit.*

(i) VITRIAR. *Inst. Iur. Nat. & Gent., Lib. I, tit. XXV,*  
*quaeft. 9.*

## §. XVII.

ratio ad  
paritatem  
pupilli, vel  
absentis.

**V**rgent exemplum pupilli, aut absentis, qui etiam si non possint se ipsos defendere, a tutore tamen, aut defensore defendi debent. Verum evidens disparitas est, siquidem pupilli, aut absentes verum ius sese defendendi habent, & exercitium huius iuris tantummodo ob defectum aetatis, aut absentiam incumbit aliis conciuibus. Ast diuersam prorsus rationem obtinere in subditis respectu summi imperantis, fatis haecenus euictum est (k).

## §. XVIII.

Officia  
specialia  
gentium ex  
obligatione,  
non  
impediendi  
alteram in  
exercitio  
summi im-  
perii, aut  
immiscen-  
di sese re-  
gimini  
alieno, su-  
antia.

**P**orro ex eadem ratione, quod nulla gens habeat ius impediendi alteram in suis actionibus & exercitio summi imperii, seu sese immiscendi regimini alieno, concipimus, quomodo quaelibet gens secundum officia gentium inter se absoluta perfecta non tantum 1) abstinere debeat ab omni iurium maiestaticorum exercitio in territorio alieno (praeterquam si seruitutem publicam ibi legitime constitutam habeat), sed & 2) exercitium iurium maiestaticorum alterius gentis in suo territorio non impedire, atque 3) effectus iurium

---

(k) COCCEIVS ad GROT. loc. cit.

rium maiestaticorum, quatenus se exerunt in territorio gentis summum imperium exercentis, agnoscere teneatur, nisi ex tali exercitio damnum positivum sentiat (l).

\* Notanter scripsi: *damnum positivum*, quoniam alia gens nequaquam pollet iure, exercitium iurium maiestaticorum penes gentem impediendi, si mediante hoc exercitio ei lucrum quoddam tantum interceptiatur, non vero damnum *positivum* obueniat, ex regula generali: *qui utitur iure suo, nemini facit iniuriam* (m).

### §. XIX.

Tandem vi libertatis naturalis penes quamlibet gentem residet ius stricte tale, *disponendi de forma suae reipublicae* (n), *nec minus circa constituendum superiorem, ac in specie in regnis circa constituendum sibi principem quaelibet gens suo arbitrio uti potest.* Huic itaque iuri stricte correspondet ex parte reliquarum gentium perfecta obligatio, *nihil attentandi contra formam publicam alterius civitatis, & legitime constitutum superiorem ac principem pro tali agnoscendi.*

*Officium non turbandi formam regiminis, & agnoscendi principem alterius gentis.*

### §. XX.

(l) Conf. *Syst. I. P. V. Part. II. Cap. I. §. 3. & seq.*

(m) NETTELBLADT *Syst. elem. univ. iurisprud. nat. L. II. Sect. I. §. 425. & 428.*

(n) *Systema I. P. V. Part. I. Cap. V. §. 4.*



## §. XX.

*Exceptio  
ex officio  
gentis erga  
se ipsam  
naturali-  
bus.*

**Q**uandoquidem tamen *ratio officiorum erga alios cessat cum laesione propria*; sequitur, vt genti extraneae denegari nequeat *ius resistendi immutationi formae regiminis, & designationi personae regiae in casu extraordinario*, si talis immutatio aut designatio sit contra *ius perfectum gentis extraneae ex pacto acquisitum*, aut ex ea alteri genti periculum laesionis *proximum*, aut satis *certum immineat* (o).

## §. XXI.

*Officium  
non adsi-  
stendi re-  
bellibus, il-  
losue reci-  
piendi.*

**T**andem quemadmodum gens ex iure naturali suae conseruationis habet ius, remouendi omnia impedimenta, quae subistentiae formae publicae & legum fundamentali-um nocere possunt (p); ita non ambigitur, hoc ius *perfectum* violari ab illa gente, quae *rebellibus asyllum praebet*, & multo magis, *si illis auxilio & consilio adssistit, vel receptum antea promittit* (q).

\* Diffe-

(o) Conf. LVD. GOTT. MOGEN *de eo, quod circa imperantem agnoscendum est iuris gentium. Giesae 1748.*

(p) Conf. *sup. Cap. I. §. 4.*

(q) Conf. IO. IAC. LEHMANN in *diff. an potentiores rebelles, aliique eius fere generis, secundum leges gentium in vicinis regnis iure asyli frui possint? Ienae 1717.*

\* Differentia nimirum est quoad gradum imputationis, quod priori casu gens, *vt nuda causa damni & poenae impeditae* censeatur: in posteriori vero *vt vera causa moralis rebellionis* spectari, & bello coerceri possit, prouti in simili statuit DARIUS obseru. iur. nat. soc. & gent. 45. §. 29. in schol.

\*\* An vero valeat exceptio, quam plures DD. addunt, in *casu legitimae subiectionis*, vel *dethronisationis*, illud dependet a quaestione, quam in Syst. I. P. V. Part. III. Cap. I. §. 17. & seq. & superius §. 14. legitime resoluimus.

## §. XXII.

Perfectiōni gentis, quae consistit in *aptitudi-* *Obligatio*  
*ne, finem ciuitatis consequendi* (r), contraria *non faci-*  
 est gentis *imperfectio*, quae per consequens *endi alte-*  
 inuoluit *ineptitudinem consequendi finem ciuitatis.* *ram gen-*  
 Quoniam itaque officium perfectum *de non* *tem imper-*  
*laedendo* pertinet ad non impediendam, aut *fectiorem.*  
 violandam perfectionem gentis alterius; hinc  
 officiis perfectis gentium erga se inuicem me-  
 rito accensetur, *quod nulla gens quidquam*, com-  
 mittere debeat, *vi cuius altera gens ad finem ciuita-*  
*tis adipiscendum fiat inepta* (s).

## §. XXIII.

(r) *Sup. C. I. §. 7.*

(s) *Conf. WOLF. iur. gent. Cap. II. §. 178. & seq.*

## §. XXIII.

Non impe-  
diendi aut  
violandi  
sufficiem-  
tiam vi-  
tae, poten-  
tiam in-  
ternam &  
securita-  
tem alte-  
rius gen-  
tis.

Quamobrem quum felicitatis gentium pub-  
licae praeter *libertatem politicam* (de cu-  
ius iuribus & correlatiuis obligationibus ha-  
ctenus) partes sint *sufficiencia vitae, potentia in-  
terna, & securitas* (t); pari ratione conficitur,  
ut quaeiibet gens teneatur, non impedire aut viola-  
re *sufficiencia vitae, potentiam internam & secu-  
ritatem alterius gentis.*

## §. XXIV.

Non tur-  
bandi al-  
teram in-  
uicem in-  
uicem tu-  
endi poten-  
tiam aut  
securita-  
tem.

Et quoniam media tuendi potentiam aut se-  
curitatem gentis sunt *multitudo incolarum,*  
*bene numerosa & ordinata militia, abundantia bono-  
rum tam publicorum, quam priuatorum & cultura*  
*ciuium* (u); ex eodem fonte perspicimus, of-  
ficia gentis erga se inuicem absoluta perfecta  
postulare, ut 1) *nulla gens subditos alterius vi  
aut arte subducat, vel illicitas militum conquisitiones  
in alieno territorio citra consensum summi imperan-  
tis instituat* (w). 2) *Vt nulla gens alteram in  
possessione ac usu bonorum publicorum & priuatorum  
turbet.* 3) *Vt nulla gens aliquid committat, quo  
altera gens euadat inculta, eiusus cultura impediatur.*

## §. XXV.

(t) *Sup. C. I. §. 18.*(u) *Ibid. §. 17.*(w) *Conf. discenda inferius part. III. S. I. C. I. §. 80.*

## §. XXV.

**D**enique iuri *comato* cuiuslibet gentis *ad suam existimationem* correlata est obligatio absoluta perfecta, vt vna gens alteram gentem spectet tanquam sibi *aequalem*, sicut in reliquis iuribus, ita & quoad *existimationem*. Enimvero si quis verbis, vel factis contrarium declarat, oritur laesio existimationis & *iniuria*; igitur omnes actus, qui vergunt in *contemptum*, aut *contumeliam* gentis alterius, obligationi absolutae perfectae erga alias gentes aduersantur, ideoque *iniuriam* continent.

## §. XXVI.

**P**osita laesione ponitur obligatio naturalis *reparandi damnum*, vtpote sine qua reparatione nulla laesio cessaret. Quoniam itaque gentes obstringuntur *obligationibus naturalibus*; sequitur, *damnum*, si quod per laesionem iuris *perfecti* inter gentes datum est, reparandum esse mediante *restitutione*, aut *satisfactione*, ac proin huic obligationi correspondet ius *perfectum* gentis laesae, exigendi *reparationem damni* a laedente, quod vocatur *ius indemnitatis* (x).

## §. XXVII.

(x) GROTIUS. L. II. C. XVII. PUFENDORF. *de iur. nat.* § *gens*. L. III. Cap. 1. HERTIUS *in diff. de socialitate primo iuris naturalis principio*. Sect. III. §. II.

## §. XXVII.

*Dammum  
imputatur  
genti &  
principi  
vel ut  
causae im-  
mediatae,  
vel ut  
causae mo-  
rali me-  
diatae.*

**D**ammum imputatur genti duplici modo, aut quatenus gens est causa *immediata* laesionis, aut quatenus concurrat ad laesionem alienam ut causa *moralis mediata*, siue *positiua*, siue *negatiua*. Et quum summus imperans ciuitatis utatur *iure gentis* (y); illum ex iisdem causis ad reparationem damni *perfecte* obligari manifestum est.

\* Quomodo ex concursu ad actionem alterius aliquis euadat causa *moralis* vel *praeceptiua*, vel *socia*, aut *secundaria* eius actionis, & hoc respectu damnum praestare debeat? fusius exponit DARIUS (z), quae ad gentes facili negotio adcomodari possunt.

## §. XXVIII.

*Distinctio  
inter  
actionem  
gentis &  
subditi.*

**Q**uandoquidem vero *actio cuiusdam ciuitatis membri non statim pro actione gentis haberi potest* (a); sua sponte patet, gentem seu rectorem ciuitatis non obligari ad refarcitionem damni a suo ciue subiecto genti aut ciui extraneo illati, nisi in quantum gens aut rector ciuitatis causa *moralis* illius damni existit.

## §. XXIX.

(y) *Prolegom.* §. 3. *in not.*

(z) *Obseru.* XLV. & LVIII. §. 17. & *seq.*

(a) DARIUS *Inst. iurispr. uniu.* Sect. VIII. C. I. §. 644. *Cor. 2.*

## §. XXIX.

**E**x his regulis decidi debent quaestiones speciales GROTHII (b). *Prima est, an gentes, seu rectores ciuitatis teneantur, si eorum subditi latrocinia, aut pyratiam egerint?* Etenim sequenti distinctione utimur: vel gens aut rector ciuitatis non adhibet ea, quae potest debetque, remedia ad impedienda latrocinia, aut pyratiam: vel nulla adparet idea neglectus, seu patientiae in gente aut imperante, adeo, ut sublatio latrociniorum, aut pyratiae ipsi impossibilis sit. Priori casu gens, aut rector ciuitatis omnino obligatur ad praestationem damni, quoniam ob patientiam aut neglectum est causa mediata moralis saltem negatiua damni. Posteriori vero casu ad nihil tenetur, quia tale factum genti aut imperanti ut causae morali nec positiuae, nec negatiuae imputari, nec obligatio ad impossibilia constitui potest.

*De obligatione gentis aut imperantis ex latrocinio, aut pyratia subditorum.*

## §. XXX.

**A**ltera quaestio est, *utrum, si milites terrestres aut nautici, quibus tempore belli praedarum* *Obligatio gentis aut imperantis ex facto*

(b) L. II. C. XVII. §. 20.

Schrodt I. G.

D

*militum in bello res amicorum rapientium, in regula negatur.* *darum ex hoste agendarum potestas datur, contra imperium amicis noceant, rectores ciuitatis eo nomine teneantur? Ad quam respondemus cum GRO- TIO (c), imperantes in nihil aliud teneri, quam ut noxios, si reperiri possint, puniant, & praeterea in bona raptorum ius reddant.* Ratio est, quia in hoc casu duo curate separanda sunt facta, alterum *rectorum ciuitatis*, qui suo iure commiserunt priuatis, ut praedam agerent; & hoc factum *iustum* est ex iure *belli*: alterum *priuatorum*, potestatem sibi datam excedentium, & *amicorum* res rapientium; atque hoc factum *illicitum* est, consequenter ex eo resultat sola obligatio *patratorum* ad *satisfactionem*, aut prorsus ad *poenam*.

## §. XXXI.

*Excipitur, si gens aut imperans sit causa moralis mediata damni.* **E**xcipitur tamen *nisi forte imperans sit causa moralis mediata iniustae praedationis, aut de praeda ab amicis capta participauerit.* Hoc enim casu quum imperans approbasset factum suorum militum, obligaretur ex suo *consensu*: sed & si nesciat praedam a focus captam esse, tamen tenetur, quatenus *locupletior* factus est (d). §. XXXII.

(c) *Loc. cit.*(d) *Cocceius ad Grot. loc. cit.*

## §. XXXII.

**N**eque aliquis contra thesin obmoueat, *gen-* Non idem  
*ti aut rectori ciuitatis semper imputandum esse,* selectus has  
*quod malorum hominum operam adbibuerit.* betur in  
*Nam li-* exercitu  
*cet ista ratio vera sit in selectu hominum,* nautico,  
*qui instituitur & habetur in familia; cessat* seu terre-  
*tamen in exercitu nautico, vel terrestri, vbi in-* stri, sicut  
*signis multitudo requiritur, ac proinde hic se-* in fami-  
*lectus impossibilis est.* lia.

\* Quod *cautionem*, de qua GROTIUS loc. cit. loquitur, concernit, illius originem non ex iure *naturali*, sed *ciuili positiuo* repetendam esse discimus ex BYNKERSHOEKIO (e).

## §. XXXIII.

**N**ihilominus quaeritur, *an gens, quae non est* De obliga-  
*causa moralis damni a suo subdito aut ministro* tione de-  
*genti extraneae dati, baud facta reparatione damni,* dendi sub-  
*obligetur ad deditionem subditi, aut ministri laeden-* ditum lae-  
*tis? Id quod negamus. Ex eo enim, quod* dentem ci-  
uitati lae-  
fac.

D 2

vires

(e) *Quaest. Iur. Publ. L. I. C. XIX.*, qui docet, *ex forma Admiralitatum an. 1397. naus praedatorias a priuatis exercitas non enauigare, nisi praestita cautione idonea, non hostibus damnum datum non iri, quod insuper pluribus constitutionibus iam confirmatum erat, quae itidem allegantur.*



vires subditi aut ministri ad *res suam* gentis, cuius subditus aut minister est, pertineant; sequitur, subditum, vel ministrum alteri tradere idem esse, ac *suas vires alteri trahere*. Enimvero suas vires absque praecedente facto *obligatorio* alteri genti tradere gens secundum officia naturalia *erga se ipsam* non obstringitur; ergo. Atque ideo 2, quum gens aequè damnum sentiat per *deditionem* sui subditi aut ministri, ac gens laesa sine reparatione damni; locus fit naturali axiomati, *in pari causa meliorem esse conditionem possidentis*.

## §. XXXIV.

*De iure puniendi.*

Sed vna superest dubitatio, *an gens teneatur ad subditum vel ministrum suum, qui absque eius culpa alteram gentem laesit, puniendum?* Idque ideo affirmandum censemus, quoniam haec obligatio fluit ex *finibus poenarum naturalibus*, nempe ex *satisfactione*, quae genti laesae iure *stricto* praestari debet, & ex *securitate publica*, quae postulat, vt genti laesae ex omissione poenae nullum suppeditetur ius, aut occasio, laesionem subditi alieni huius imperanti ob *adprobationem tacitam* imputandi, adeo, vt gens laesa arripiat conatum efficacem, *mala*  
gen-

*confectaria* eiusmodi laesionis ipsi genti aut imperanti subditi laedentis irrogandi,

\* Quin & posita hac hypothese, quod gens aut princeps subditi laedentis iustam eius punitionem omiserit; genti laesae summa ratione largimur ius, a gente aut principe subditi laedentis vel huius *traditionem*, vel *damni praestationem* postulandi (f).

### §. XXXV,

Ex iisdem principiis responderi debet ad *De obligatione subditorum ex facto, seu delicto imperantis erga gentem exterram, sententia* quaestionem valde ambiguum, *quomodo subditi teneantur ex facto aut delicto summi imperantis erga gentem alteram?* Nimirum omnes conveniunt, subditos obligari *per consensum*: sed in eo dissentiunt, qualis consensus hoc loco ad constituendam subditorum obligationem sufficiat. GROTIUS (g) enim requirit consensum *specificum* populi, aut *factum illicitum*, principis imperio, aut *suasu* a populo subiecto perpetratum, & cum GROTIUS coincidit sententia

D 3

tia

(f) DARES *in obseru. LIX. §. 8. & seq. qui simul explicat, quomodo iuxta nostram sententiam doctrina GROTII Lib. II. Cap. XVII. §. 20. & 21., quae nonnullis inter se repugnantia continere videtur, scite conciliari possit.*

(g) *L. II. de L. B. & P. Cap. XXI. §. 2. & 7.*

tia DARIESI (h), qui videndum esse ait, an subditi consensum dederint, aut *tacite requisitum*, rectorem ciuitatis iuuando, milites & pecuniam suppeditando &c. aut *expresse requisitum*, si e. g. cum deliberaretur de iniuria inferenda, sententia sua inferendae fuerint auctores.

## §. XXXVI.

*Distinctio  
Henrici de  
Cocceis  
inter iniuriam  
principis  
notoriam  
& dubiam.*

HENR. COCCIVS' (i) distinguit inter factum principis *notorie* iniustum, aut, vti HEINECCIO (k) placet, natum *ex tyrannide*: & inter factum, quod *dubium* saltem est, seu natum *ex iure principatus*. Posteriori casu subditos ait teneri, iudicium principis sequi, ac illud *opibus & operis* tueri, adeoque spectari vt *participes* delicti, ideoque *causam* iniuriae. Priori casu subditos putat non obligari accedere iudicio principis, qui *extra fines imperii* agit, sed tantum teneri, quatenus eiusmodi crimen *impedire* potuerunt & debuerunt.

## §. XXXVII.

(h) *Obseru. Iur. Nat. Soc. & Gent. XLV. §. 24. schol.*

(i) *Ad GROT. loc. cit. §. 7.*

(k) *In practicâ. acad. in GROT. loc. cit.*

## §. XXXVII.

**E**x diuerso plures *generalem* obligationem *ex* *Opinio* *delicto imperantis* subditis imputant\*, *monarcho-* *machorum* *& aliorum* *communis* *de causis* *consensus* *subdito-* *rum.* *fed* *ex diuersa* causa consensus. Ratio enim monarchomachorum est, quia subditi delictum regis *prohibere*, quin & *punire* debuissent: quod si omittunt, ipsi causa sunt criminis. Aliis (1) autem communius causam generalis huius obligationis deducere placet *ex submissione uniuersali voluntatis subditorum ad voluntatem summi imperantis per notionem essentialem status ciuilibus conceptibili.*

\* Huc pertinet illud vulgatum: *Quidquid delirant reges, plebuntur ACHIVI.*

## §. XXXVIII.

**H**isce ponderatis, vt meam edicam sententiam, non possum imprimis accedere ad *Refutatio* *sententia* *Grotii &* *Darięsi.* opinionem GROTH & DARIĘSII (§. 35.) relatum, quia, vt factum *subditi* imputari possit toti *genti*, id quidem vim habet ex consensu *principis* (m): diuersa autem ratio adparet circa consensum *subditorum* intuitu actus *regii*, quo-

D 4

niam

(1) SAM. de COCCĒIS *ad* GROTH. *loc. cit.* & KEVFFEL *Exercit. GROTH. VII. §. 163.*

(m) *Sup. §. 28. huius cap.*

niam summus imperans, qua talis, seu ex ipso caractere maiestatis gentem repraesentat(n).

§. XXXIX.

*Item Hen-  
rici de  
Cocceii.*

**N**ec momentum habet distinctio HENR. de COCCENS inter iniuriam principis *notoriam & dubiam* (§. 36). Siquidem ex notione *subiectionis ciuilis* fluit, vt populus subiectus, etiam in iniuria *notoria*, seu *quae populo notoria videtur*, sequi iudicium principis debeat. Nam profecto si princeps neget *notorietatem* iniuriae, populus autem illam adfirmet; quis *iudex* erit? Non certe *populus*, vtpote qui omni iuri suo, omnique *iudicio in principem* se abdicauit (o).

§. XL.

*Opinio  
monarcho-  
macherum  
est absur-  
da.*

**M**ulto magis pro inepta exploditur ratio MONARCHOMACHORVM (§. 37.), vtpote quae manifesto pugnat cum idea *subditorum qua talium*, qui iure *prohibendi*, & (quod omnino absurdum esset) *puniendi* suum principem certo destituuntur (p).

§. XLI.

(n) *Proleg.* §. 3. \*

(o) SAM. de COCCENS *ad* GROT. *l. cit.* §. 7.

(p) *Syst. I. P. V. Part. III. C. I.* §. 10. 199.

## §. XLI.

Tandem inspecta sententia & ratione illorum, qui *generalem obligationem subditorum ex facto & delicto imperantis constituunt per submissionem generalem voluntatis subditorum ad voluntatem imperantis factam* (§. 37.); discutendum est, ad quae facta eiusmodi *submitio* pertineat? Ego quidem distinctione rem expedito inter facta & delicta *publica regis*, qua *capitis reipublicae*, & inter facta & delicta *regis privata ac moralia*. In illis rationem allegatae *submissionis* veram esse pro consensu *generali & implicito populi* omnimodo largior: in his vero nec *vim imperii*, nec *voluntatem populi*, nec denique *connexionem civitatis* pro transfundenda culpa principis in populum per se sufficere, cum HENR. HENNIGESIO (q) consentio.

## §. XLII.

Caeterum quemadmodum haecenus stabilimus obligationes gentium *mutuas perfectas* quoad iura *connata*; ita facile suo loco adparebit, ea, quae de laesione & reparatione damni hic dicta sunt, ad iura quoque gentium *adquisita* trahenda esse.

D<sub>5</sub>

CAPVT

(q) *Observ. polit. & moral. ad GROTIUM, loc. cit. §. 17.*

## CAPVT III.

DE OFFICIIS GENTIVM ERGA  
SE INVICEM IMPERFECTIS.

## §. I.

*Transitio  
ad obliga-  
tiones gen-  
tis erga  
gentem im-  
perfectas.*

**E**xaminatis officiis gentium erga se inuicem *absolutis perfectis*, sequuntur officia gentium *mutua imperfecta* de promouendis gentium aliarum perfectionibus, in quantum *physice & moraliter* (id est salua obligatione morali maiori) possibile est. Et quidem obligatio naturalis ad huiusmodi officia descendit ex iure cuiuslibet gentis connato *se perficiendi*, quae perfectio quum aliena ope passim indigeat, nec nisi coniunctis gentium viribus obtineri possit; hinc oritur obligatio inter gentes *relatiua* naturalis, *vt vna gens perfectiones alterius pro virili promoueat*. Deinde facit motium huius obligationis fundari in amore gentis *erga se ipsam*, vt nempe officiis *charitatis* exhibitis procliuior in altera gente excitetur conatus, ad eadem vicissim exhibenda, felicitatemque communem promouendam (r).

## §. II.

(r) Conf. FRID. CHRIST. BAVMEISTERI *Philosoph. pract.*  
*Part. II. Cap. VII. §. 93. prop. 3.*

## §. II.

Quare autem haec obligatio promouendi perfectiones aliarum gentium imperfecta fit sine correlato iure cogendi, triplici ratione probari solet. Nam 1) haec obligatio complectitur officia erga alias gentes *affirmatiua*, in quorum praestatione vi libertatis naturalis standum est iudicio praestantis, num ad illa praestanda detur occasio (s). Dein 2) fons horum officiorum est *amor*, qui utpote in actione animi *interna* consistens extorqueri nequit (t). Quin & 3) ex coactione ad eiusmodi officia plus mali in societatem gentium vniuersalem redundaret, quam ex non obseruantia alicuius officii *imperfecti* passim metuendum est (u).

*Rationes pro hisce obligationibus qua imperfectis.*

## §. III.

Neque tamen exinde inferimus *dari obligationem naturalem sine iure correlato*, cum pro correlato huius obligationis, qua imperfectae, sufficiat ius *petendi & querelas mouendi*, aut plane *ius*

*De correlatis iuribus petendi, querelas mouendi, & retorsionis.*

(s) WOLF. *Inst. I. N. & G. Part. I. Cap. II. §. 79.*

(t) DARIUS *Inst. Jurispr. uniu. Part. spec. Sect. II. §. 319.*

(u) ACHENWALL *Proleg. Iur. Nat. Cap. VI. §. 107.*



ius *retorsionis* ex denegatione officii *imperfecti* inter gentes naturaliter ortum (w).

§. IV.

*Obligatio imperfecta ab illo in prae. etiam casu necessitatis.*

Enimvero duobus modis in statu gentium naturali contingit, vt officia imperfecta eualescant in officia *perfecta* & *necessuatis*. 1) ex obligatione *pañtita*, de qua inferius parte II. 2) ex *iure necessitatis*, qua stante, ob collisionem officiorum *commoditatis* erga se cum officiis *incolumitatis* erga alios, officia posteriora, vtpote ex quorum omissione maior resultat *imperfectio*, priora naturaliter vincunt.

\* Probe tamen aduertimus, in expletione coactiua iuris sui perfecti hoc casu speciatim inter gentes obseruandas esse conditiones, quae sequuntur: 1) vt omni modo prius tentandum sit, an *alia ratione* necessitas tolli, aut *citra violentiam* obtineri officiorum *relatiuorum* praestatio possit. Secus enim cessat collisio. 2) Vt altera gens *p̄ri necessitate* non prematur, sicque *in pari causa melior sit ratio possidentis*. Et tandem 3) vt *cessante necessitate* fiat *restitutio*, aut *satisfactio*, in quantum possibilis est. Nam  
ius

---

(w) Confer. IOANN. IUSTINI SCHIERSCHMIED *Elem. Jur nat soc. & gent. Part. I. Cap. I. §. 271. schol.*, & *dicta in Proleg. §. 14. in not.*

ius *necessitatis* non vltcrius extendendum, quam *necessitas* exigit (x).

## §. V.

Quin & ius tum *petendi*, tum *praestandi* officia imperfecta, utpote *ex libertate naturali & iure connato satisfaciendi suis obligationibus naturalibus* fluens, pertinet ad *ro suum* cuiuslibet gentis. Quoniam itaque nulla gens alteram in svo turbare citra iniuriam potest; sequitur, *nullam gentem absque laesione posse impedire alteram in petitione officiorum imperfectorum, aut impedire gentem tertiam, quo minus officia etiam imperfecta alteri genti exhibeat, eiusue perfectiones au-geat* (y).

*De iure petendi & praestandi officia imperfecta inter gentes stricto iure.*

## §. VI.

Officiorum inter gentes *imperfectorum* summa diuisio est in *indefinita & definita*. Illa sunt, quae ab aliqua gente *ex charitatis motu promiscue*, citraque respectum ad determinatam gentem adimplentur: haec sunt, quae vna gens alteri *in specie* data occasione exhibet.

*Diuisio officiorum inter gentes imperfectorum in indefinita & definita.*

\* Exem-

(y) Conf. DARIUS *Inst. Iurispr. uniu. Part. spec. Sect. II. Cap. L §, 319.*

\* Exemplis rem pulchre declarat L. B. de ICKSTATT (2). Species officii *indefiniti* est, quando gens magnam frugum, quas prae aliis copiose suum solum proferre aptum est, abundantiam solertia industriaque sua hanc ob causam procurat, quo gentium vicinarum indigentiam in casu necessitatis subleuet: siue quando plures, quam ad sui securitatem opus est, militares copias alit, vt contra inultus hostiles, gentibus vicinis forte metuendos, sicubi res postularit, suppetias ferre queat. Ad officia vero *charitatis definita* pertinet, dum gens *actu* auxilia fert, frumenta, aliaque vitae subsidia subministrat, & quae sunt eius generis socialitatis officia alia.

## §. VII.

*In officia  
innoxiae  
utilitatis  
seu huma-  
nitatis  
vulgaris,  
& noxae  
utilitatis,  
seu huma-  
nitatis  
eminentis.*

Porro eiusmodi officia ab vna gente alteri praestantur aut sine, aut cum *molestia*, vel *diminutione* τ & SVI. Priora audiunt officia *innoxiae utilitatis*, siue *humanitatis vulgaris*: posteriora nuncupantur officia *noxae utilitatis*, seu *humanitatis eminentis*. Atque haec iterum in officia *liberalitatis*, seu *beneficentiae* in specie talis, quando gens *de suo* aliquid *pleno iure*, aut saltem *quoad usum* in alteram transfert: in officia *officiositatis*, quando populus factum quoddam *onerosum*, vti *mediatoris* & *pacificatoris* officium

---

(2) *Element. Iur. Gent. L. II. Cap. I. §. 8. schol.*

cium pro altero gerendum in se fuscipit: & in officia *gratitudinis*, quando gens beneficia beneficiis rependit, rite dispecimus.

### §. VIII.

**T**andem officia *innoxiae utilitatis* inter gentes Officia innoxiae utilitatis sunt vel actiua, vel passiva. diuiduntur in *affirmatiua* seu *actiua*, quae consistunt in *committendo*, seu in quibus vna gens in alterius vtilitatem sine detrimento suo vires suas adcommodat: & in *negatiua*, seu *passiua*, quae consistunt in *omittendo*, siue quibus vna gens ab altera in suam vtilitatem aliquid sine detrimento suo & adcommodatione virium suarum fieri patitur.

### §. IX.

**A**tque haec partitio maximi momenti est pro conciliando dissensu DD., quorum nonnulli cum GROTIO (a) officia innoxiae vtilitatis *in statu naturali*, ac per consequens *inter gentes esse perfecta* contendunt, quia 1) in casu innoxiae vtilitatis reuiuiscit primaeva rerum & iurium *communio*. 2) Quia ratio inter-

---

(a) *De I. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 11. & VITRIARIUS Inst. Iur. Nat. & Gent. L. II. C. II. §. 29.*

termiffae horum officiorum praestationis non in vtilitate propria prae aliena promouenda, sed in *defectu socialitatis*, atque odio, aut *invidia* erga alias gentes ponenda est (b), id quod laesionem *stricte* talem inuoluit.

## §. X.

*Sententia  
aliorum de  
his officiis  
imperfe-  
tis.*

**E** contra plures sunt, qui cum PVFENDORFIO (c) haec officia indistincte *imperfectis* accensent, idque probant 1) ex iure naturali dominii, quod importat ius *arbitrarium & priuatum disponendi* de re sua. 2) Ex *libertate & aequalitate* gentium naturali, vi cuius in praestatione horum officiorum stari debet *iudicio* praestantis, an ea *innoxia* sit. 3) Ex *consecrariis*, quia coactio ad haec officia ob *incertam* eorum rationem ac mensuram turbis humanae societatis frequentem causam praebet.

## §. XI.

(b) L. B. de ICKSTATT *Elem. Iur. Gent. L. II. C. VII. §. 3.*

(c) I. N. & G. L. III. §. 3., de O. H. & C. Lib. I. Cap. VIII.

§. 5. *Quem sequuntur* HERTIVS in *not. ad PVFENDORF. I N. & G. Lib. III. C. III. §. 3., & in dissert. de socialit. prim. iur. nat. princ. §. 12. & 15. in opuscul. vol. I. pag. 84. & seq.* COCCIVS in *comment. ad GROT. loc. cit.* HEINECCIUS *Elem. I N. & G. Lib. I. C. VIII. §. 214. & ad GROT. ac PVFEND. loc. cit.* GLAFFEY *Recht der Vernunft L. III. C. IV. §. 56. & 60.*

§. XI.

Verior itaque est distinctio inter officia innoxiae utilitatis *activa & passiva*, ita ut illa ad officia *amoris imperfecta* ex argumentis in §. 2. & 10. recensitis omnino referri debeant: haec vero officiiis *perfectis*, aut *necessitatis* merito accenseantur, quoniam denegatio eiusmodi officiorum *absque violatione aequalitatis & facultatis moralis se perficiendi*, quin & sine affectu *hostili* inter gentes concipi nequit (d).

§. XII.

Caeterum doctrina GROTII (e) *de necessitate postulandi officia innoxiae utilitatis prius, quam vindicentur*, naturaliter & inter gentes vera est non tantum in officiiis innoxiae utilitatis *activis*, utpote quae per se *imperfecta* sunt: sed & in officiiis *passivis*. Siquidem & haec non nisi *indigenti* praestari debent, ac praeterea in his exercitium iuris *cogendi* supponit certitudinem *mōralem*, quod eorum exhibitio

prae-

(d) DARIUS *obseru. I. N. sup. § gent. L. II.* Item *Discurs über das Völkerrecht. C. II. §. 954. Cor. 2.*

(e) *Loc. cit.*

Schrodt I. G.

E

praestanti *innoxia* sit, quae certitudo demum mediante *postulatione*, & *post cognitam denegationis causam* hauriri potest (f).

## §. XIII.

*De primario officio gentium musuo illustrandi gloriam diuinam, & promouendi religionem.* Hisce praemissis transgredimur ad officia *specialia* gentium *circi augendas aliarum perfectiones*. Et quidem quum nemo temere negauerit, gentes, vt personas *morales*, obstringi officiis *erga DEVM*, ac praeterea summum bonum & perfectio gentium munimenta habeat in *religione*, prouti per *ordinem* officiorum naturalium & *confectaria* elucescit; inde tum ex lege *religionis*, tum ex lege *socialitatis* principem locum sibi indubie vindicat obligatio gentium mutua, *illustrandi gloriam diuinam, & promouendi religionem.*

## §. XIV.

*Religio vel naturalis, vel reuelata.* Religio est *modus colendi DEVM*. Haec *vel naturalis* est, prout *modus colendi DEVM* ex lumine *rectae rationis* innotescit: *vel reuelata*, prouti idem ex principiis *reuelatis* determinatur.

## §. XV.

---

(f) DARES *cod. loc.*

§. XV.

**V**traque religio complectitur officia *theoretica* circa veram cognitionem DEI, & *practica* circa cultum DEO exhibendum; ex quo gentes ad *promouendam religionem* quoad officia tam *theoretica*, quam *practica* sibi inuicem naturaliter obstrictas esse constat.

§. XVI.

**O**fficia, quae in promouenda religione vna gens alteri praestat, vel cum, vel absque aliqua praestantis *molestia*, aut *diminutione* exhibentur. Priora officia *humanitatis eminentia*: posteriora *vulgaria* esse ex dictis (§. 7.) intelligimus (g).

§. XVII.

**Q**uandoquidem tamen haec officia circa religionem inter gentes sunt *imperfecta*, quae in statu naturali eius sunt indolis, vt neque remediis *coactiuis* extorqueri, neque vi obrudi possint; inde tum *ob neglectam curam propagandae religionis*, tum *ex causa propagandae religionis* nullus iuri *coactiuo* inter gentes locus datur.

E 2

§. XVIII.

(g) Conf. L. B. de ICKSTATT *Elem. Iur. Gent. L. II. C. II. §. 10. & seq. ubi talia officia specificè enumerat.*



## §. XVIII.

*Officia  
gentis erga  
gentem  
conuincen-  
di alteram  
in errori-  
bus circa  
religio-  
nem.*

**R**eligionis *naturalis* iuxta GROTIUM (h) qua-  
tuor summa sunt capita. Primum *de exi-*  
*stentia*, secundum *de unitate*, tertium *de perfe-*  
*ctione*, quartum *de prouidentia DEI*; ac proin-  
de religioni naturali maxime opposita sunt  
*atheismus*, *polytheismus* aut *idololatria*, *blasphemia*  
& *epicureismus*. Quoniam itaque *ius ad finem*  
*dat ius remouendi impedimenta fini contraria*; suap-  
te concipiuntur iura gentis ad eos actus, qui-  
bus gentem atheam, polytheam aut idolola-  
tram, blasphemam & epicureismo addictam  
sui erroris ac peccati conuincere potest.

## §. XIX.

*Sine iure  
cogendi.*

**E**nimvero haec facultas *conuincendi* ex *idea*  
*status naturalis* genti non tribuit *ius coa-*  
*ctiuum* in actiones gentis alterius, quae ipsam  
non laesit. Quoniam itaque delicta *in DE-*  
*VM* nullam *laesionem* aliarum gentium conti-  
nent; luculenter patet, genti natura ( *citra*  
*speciale DEI mandatum*) nullum esse *ius*, *vi co-*  
*ercendi*, aut *puniendi atheismum, polytheismum,*  
aut

(h) L. II. C. XX. §. 44. / 11.

aut *idololatriam*, *blasphemiam* & *epicureismum* gentis alterius. Excipe tamen casum, si sacra gentis ita comparata sint, vt ipsa *socialitatis humanae* principia euertant, & per consequens gentibus, praesertim vicinioribus, ius *securitatis perfectum* ad eorum destructionem attribuant. Cuius rei exemplum in atheismo *practico* adparet (i).

## §. XX.

Ast diuersa ratio militat in iure *defensionis*, Bene tamen cum iure defensionis *securitatem religionis* in suo territorio. quod ad bona *moralia* aequae, ac *physica* gentis natura pertinet. Quoniam itaque summum bonum *morale* est *vera religio*; inde ius *defensionis* naturale gentibus *aduersus turbatores* *securitatis verae religionis in suo territorio competere*, haud ambigitur.

## §. XXI.

Caeterum quemadmodum *difformitas religio-* *Aequalis obligatio exhibendi officia necessitatis & humanitatis gentibus absque respectu ad religionem.* nis non tollit *communione iuris naturae* inter gentes; ita nemo dixerit *communia* siue *necessitatis*, siue *humanitatis* iura gentibus ex capite *beterodoxae* religionis deneganda esse, quin potius omnia *socialitatis* officia ipsis *ex aequo* praestanda veniunt.

E 3

§. XXII.

(i) *Consentit idem L. B. de ICKSTATT loc. cit.*

## §. XXII.

*Exceptio  
in casu  
collisionis.*

**E**xinde tamen, quod obligatio ex pluribus motiuis *composita* fit *fortior*, atque ideo in *collisione* vincat, haud obscurum fit, *conformitatem religionis* suppeditare *peculiare* motiuum, ex quo in concursu quoad praestationem officiorum *humanitatis* fortior gentis *christianae* erga gentem *eiusdem*, quam *difformis* religionis concipiatur obligatio.

## §. XXIII.

*Obligatio  
gentium  
mutua pro:  
mouendi  
culturam  
in doctri-  
na & mo-  
ribus.*

**P**raeter religionem perfectionis gentium *moralis* complementum se prodit in *cultura* quoad *intellectum & voluntatem*, seu in *doctrina & moribus*. Haec vero cultura passim indiget *auxilio* gentium aliarum; quamobrem ex regulis *amoris* & absque iure *cogendi* (Cap. II. §. II.) vna gens obligatur *ad promouendam culturam alterius quoad intellectum & voluntatem, seu in doctrina & moribus*.

## §. XXIV.

*Quoad bo-  
num exem-  
plum, pro-  
pagatio-*

**M**edia promouendi hanc culturam maxime congrua sunt 1) *bonum exemplum*, 2) *propagatio & communicatio scientiarum & artium*, 3)

*com-*

*communicatio legum ciuilium.* Quum itaque ob-  
*ligatio ad finem producat obligationem ad media;*  
 hinc ex obligatione gentium mutua *ad sui cul-*  
*turam* deriuatur obligatio gentium reciproca,  
 1) *bono exemplo* fibi inuicem praeuendi (k),  
 2) *propagandi & communicandi* fibi inuicem  
 suas *scientias & artes* \*, & 3) pari ratione *leges*  
*ciuiles* \*\*, in quantum haec communicatio a  
 singulis gentibus citra neglectum officii erga  
 se ipsas fieri potest.

\* Haec communicatio scientiarum & artium alteri  
 genti fit triplici modo. 1) Per admissionem *exte-*  
*rorum* ad nostras *uniuersitates, academias, scholas, &*  
*collegia artium.* 2) Per communicationem *librorum,*  
 in quibus disciplinae *morales & conclusa societatum*  
*erudit arum* euoluuntur. 3) Per missionem virorum  
*doctorum & cultis moribus* praedictorum, qui suam *do-*  
*ctrinam & bonos mores* apud gentem *indoctam & minus*  
*cultam* propagent. Prior duplex modus ideam offi-  
 cii humanitatis *vulgaris, aut innoxiae utilitatis:* po-  
 sterior rationem officii *beneficentiae* comprehendit, si-  
 ue illa missio ex proprio motu, siue ad alterius  
 gentis *petitionem* decernatur.

\*\* Laudatur illustre huius humanitatis exemplum in  
 Graecia, quae communicationem suarum legum, a  
 populo Romano, regibus eiectis, per legatos solen-  
 niter postulatam, illi promptissime exhibuit.

E 4

§. XXV.

---

 (k) WOLF. I. G. C. II. §. 131.

## §. XXV.

*Officia im-  
perfecta  
specialia  
gentium  
circa li-  
bertatem  
naturalem  
& indepen-  
dentiam  
imperii.*

**E**x officio gentium circa *libertatem naturalem* & *independentiam imperii* deducitur obligatio gentium imperfecta 1) *assistendi genti, cuius libertas a tertia gente iniuste laceffitur* (1), 2) *titulum regiae maiestatis, quem sibi alicuius ciuitatis summus imperans adscribit, etiam citra pactum agnoscendi*, 3) *iuribus maiestaticis quoad sua consuetaria extra fines quoque territorii valorem deferendi, in quantum adimpletio harum obligationum, per propriam salutem & absque laesione sui iuris, aut praerogatiuae antiquioris possibilis est* (m).

## §. XXVI.

*Obligatio  
gentium  
ad procu-  
randam  
alteri suffi-  
cientiam  
vitae im-  
perfecta.*

**P**orro ex obligatione naturali ad promouendas alterius perfectiones *physicas* promanatur obligatio gentis *ad procurandam alteri sufficientiam vitae*, vbi sibi ipsi non sufficit. Iam vero sufficientia vitae primario determinatur ex *abundantia eorum*, quae ad *vitae necessitatem* requiruntur; quaelibet itaque gens *ex lege caritatis*

(1) De Cocceis ad Grot. L. II. C. XX. prop. 6.

(m) Syll. I. P. V. Pars. I. Cap. IV. §. 5. seq., & Part. II. Cap. I. §. 5. seq.

*ritatis* (saluis tamen officiis *erga se ipsam*) obligatur, vt alterius *insufficientiam vitae* subsidiis *alimentationis*, speciatim *frugibus* subleuet.

## -§. XXVII.

Quin & quum obligatio *imperfecta* in casu *Perfecta in casu necessitatis.* *necessitatis* migret in *perfectam* (§. 3.); sequitur, in casu *famis publicae* genti incumbere obligationem *perfectam*, vt alteri media *alimentationis* vel pro pretio, vel gratis pro quantitate *necessitatis* suppeditet, nisi cum pari penuria luctetur (n).

## §. XXVIII.

Quandoquidem *non omnis fert omnia tellus*, *Obligatio gentium ad commercia.* ita vt, quarum rerum alicubi est inopia, eae aliunde petendae; hinc ex eadem obligatione gentis erga gentem, conferendi ad alterius *sufficientiam vitae*, sequitur obligatio gentium *mutua* circa *commercium*, adeo, vt ex fonte huius obligationis naturalis speciatim deriuanda sit origo & necessitas *commerciorum* inter gentes, siue sint *commercium terrestria*, siue *maritima*, quo & suo modo *commercium in fluminibus* referes.

E f

§. XXIX.

---

(n) Conf. HERTIVS *de collis. leg. Sect. II. §. 13.*

## §. XXIX.

*Imperfecta.*

**E**nimvero hanc obligationem gentium mutuum ad promouenda commercia esse *humanitatis*, & *imperfectam* vel inde euincitur, quod obligatio ad commercia, quae pertinet ad obligationem mutuum, *dandi & faciendi*, inuoluat officium *affirmatiuum*, in cuius praestatione vi libertatis *naturalis* permitti debet iudicio cuiuslibet gentis, an ea sibi sit *innoxia*, nec ne.

## §. XXX.

*Ius emendi & vendendi imperfectum.*

**I**nde sequentes fluunt conclusiones: I. vt ius aequae *emendi & vendendi* inter gentes sit *imperfectum*, sine correlata obligatione *perfecta* vendendi & emendi, atque ideo *inuita* gente altera exerceri nequeat.

## §. XXXI.

*De iure monopolii inter gentes.*

**E**x hac ratione conficimus, iusta inter gentes esse *monopolia* non tantum in sensu GROTHII (o), *vt liceat genti per pactum promittere se non nisi huic uni populo merces vendere vellet*; sed & ea pactio, *vt plures gentes coëmant*  
merces,

---

(o) L. II. Cap. II. §. 24.

*merces, & constituant, se non infra certam summam eas vendituras.* Quaelibet enim gens de iure suo, prout lubet, disponere, adeoque & merces coëmere, & coëmtas eo, quo statuit, pretio, vel cui vult, vendere potest citra iniuriam aliarum gentium, quibus nullum ius emendi perfectum apud extraneos natura quaesitum est (p).

\* Limitatio itaque GROTHII (q), *si is, qui emit, populus paratus sit, aliis vendere aequo pretio,* determinari potest ex obligatione tantummodo imperfecta gentis erga gentem, ita, vt gens, quae eiusmodi merces alteri, iisdem indigenti, pretio parum aequo vendit, peccet equidem contra regulas aequitatis, non tamen iniuriam ei faciat, & consequenter iuri cogendi causam praebet.

### §. XXXII.

II. **V**t commercia externa a gente non debeant exerceri, nisi quatenus sunt in <sup>Inra & of-</sup> *potestate, & sine neglectu officii erga se ipsam.* <sup>sticia gen-</sup> *Inde manat 1) ius cuiuslibet gentis determi-* <sup>tis erga se</sup> *nandi, cum qua gente, & qua lege commercia exer-* <sup>ipsam cir-</sup> *cere velit, vel non (cap. I. §. 15.).* <sup>ca com-</sup> *2) Ius mer-* <sup>mercia.</sup> *cibus*

(p) COCCÆIVS ad GROTH. loc. cit.

(q) Loc. cit.



cibus transeuntibus, vel importatis, vel exportatis *uestigalia* imponendi tum *in compensationem onerum*, commerciorum causa genti sustinendorum, tum ratione *lucri* ex earum venditione percepti (r). 3) Ius restringendi, aut penitus prohibendi commercia *externa*, suo statui & vtilitati quocunque modo *nocitura* (s).

### §. XXXIII.

*De concessione transitus ob commercia.*

**E**x hac conclusione quoque eruitur responsio ad quaestionem GROTII (t), *quid iuris sit circa concessionem transitus, si commercia expetantur cum gente seposita?* Vel enim gens vicina commercia expetit, quae ipsa gens, a qua transitus postulatur, iam exercet, aut eadem spe *lucri* exercere potest; & transitum negare nulla iniquitas est ex regulis *de iusta praelatione propriae felicitatis*. Vel gens vicina exercere vult commercia, quae genti intermediae

---

(r) De uestigialibus latius infra P. II. C. II. §. 8. fq.

(s) Conf. HEINECC. *diff. de iure principis circa commerciorum libertatem* Hal. 1738. & GEORG. LVDOV. BÖHMER *diff. de iure principis libertatem commerciorum restringendi in vtilitatem subditorum*, Götting. 1753.

(t) L. II. C. II. §. 13.

diae nullum adferre queunt emolumentum;  
& transitus omnino concedendus (u).

§. XXXIV.

III. **V**t ius commerciorum inter gentes fiat perfectum tantum in casu necessitatis extraordinario, quando vna gens abundat, & altera notorie indiget talibus rebus, sine quibus se incolumem seruare nequit. Ius commerciorum perfectum in casu necessitatis

§. XXXV.

**C**itra necessitatem talem sequitur IV., vt ius perfectum ad commercia cum alia gente exercenda adquiratur sola pactioe, & ex ea aestimandum sit, atque adeo per pactioem commercia restringi possunt ad solum ius emendi aut vendendi, vel ad certas res emendas aut vendendas, ac praeterea talis pactio iniuri potest vel in perpetuum, vel ad certum tempus, & illi adiici possunt conditiones quaeque, clausulae quoque commissoriae, pro uti contrahentibus e re sua visum fuerit. Et per pactioem.

§. XXXVI.

---

(u) HEINEC. ad GROT. loc. cit.

## §. XXXVI.

*Pacta  
commer-  
ciorum  
sunt vel  
affirmati-  
ua vel ne-  
gatiua vel  
mixta.*

**E**adem ratione fulcitur diuisio pactorum commercialium in *affirmatiua*, quae ad dandum vel faciendum obligant: in *negatiua*, quae obligant ad non faciendum, vel quoque ad non dandum: & in *mixta*, quae ex parte affirmatiua, ex parte negatiua sunt (w).

## §. XXXVII.

*Iuri com-  
merciorum  
non prae-  
scribitur.*

**V**t iuri *commerciorum*, vtpote quod est ius *libertatis naturalis*, seu, vt aiunt, *merae facultatis*, praescribi nequeat, nisi ex quo tempore intercessit *prohibitio* vnus, & *adquiescentia* alterius gentis ad *abdicationem iuris sui* sufficiens.

## §. XXXVIII.

*Conclusio  
de iure  
gentis pro-  
hibendi  
commer-  
cia exer-  
na & in-  
stituendi  
ea in suo  
territorio.*

**E**x his concluditur, genti, quae *longissimo* quoque tempore *commercia cum alia gente* exercuit, aut alterius *commercia in suo territorio* permittit, vel nullis plane *commerciis studuit*, nullam imputari posse *iniuriam*, si a *dictis commerciis abstinuit*, aut illa in suo territorio *interdicat*, quin & *potius proprium commercium instruat ac promoueat*.

## §. XXXIX.

---

(w) Conf. WOLFIVS iur. gent. C. II. §. 202. & 207.  
vbi effectum horum pactorum curate determinat.

## §. XXXIX.

**N**ec obmoueri potest, quod genti tertiae per *Non ob-*  
*talia noua commercia uti & per pacta commer-* *stante lu-*  
*ciorum suum lucrum, quod hactenus sensit ex com-* *cro alteri-*  
*merciis, praeuertatur, seu abrumpatur. Quum e-* *us gentis*  
*nim gens tale lucrum impediatur per usum iuris* *intercepto.*  
*sui; sequitur hanc interceptionem lucri alicui*  
*inter mala ex laesione orta, ideoque inter damna*  
 PROPRIE *talia* minime posse referri (x).

## §. XL.

**D**enique sicut *iura libertatis in petendis, & Libertas*  
*exhibendis officiis humanitatis inter gentes abs-* *commer-*  
*que laesione impediri nequeunt (§. 5.); ita sequitur* *ciorum*  
 VI., quod *libertas commerciorum, quam poni-* *non tur-*  
*mus in facultate independenti commercia in utilita-* *banda,*  
*tem tum propriam, tum alienam exercendi, vni gen-*  
*ti ab altera impediri, aut prohiberi nequeat.*

## §. XLI.

**A**t vero huic libertati commerciorum inter *Restrin-*  
 gentes minime obest, si libertas gentis *genda tan-*  
*men per*  
 CU- *pacta.*

---

(x) Confer. *praeter WOLFIVM loc. cit. GROTIUS L. II.*  
*Cap. XXI. §. 10. & DARIUS Obscrv. iur. nat. social.*  
*& gent. LX.*

cuiusdam tertiae limitatur *per pacta*, ne v. g. *cum certa gente commercium exerceat*, aut *commerciorum causa ad certa loca nauiget*. Siquidem huiusmodi pacta *negatiua* inuoluunt ex parte gentis promittentis *renunciationem* iuris sui, & ex parte gentis stipulantis *curam suae utilitatis*; vnde nulla violatio iuris *perfecti*, & consequenter *nulla iniuria* in exteras gentes redundat.

## §. XLII.

*De emporiis.*

**E**x obligatione & iure *ad finem* sequitur obligatio & ius *ad media*, pro *commerciis gentium mutuis promouendis & faciliandis* conuenientia, quo pertinent 1) *emporia*, quae nihil aliud sunt, quam *ciuitates*, seu *loca libero & continuo commerciorum inter gentes exercitio*, id est, *liberae & perpetuae* \* *mercium venalium importationi*, & *emtarum exportationi destinata*, variisque eum *in finem instructa commoditatibus*, ac *munita priuilegiis*. \*\*

\* Per hoc *emporia* differunt a *nundinis*, quod *emporia* facultatem *importandi & reportandi* merces *perpetuam*: *nundinae* vero facultatem *temporariam*, aut ad certos anni dies *mensesque limitatam* complectantur.

\*\* In censum talium *priuilegiorum* vulgo referunt *ius perpetuae habitationis*, *liberum religionis exercitium*,  
iuria

*iuris patrii* inter mercatores *peregrinos* vsum, priuilegium *fori*, immunitatem a soluendo *uestigali*, vel solutionem *uestigalis ordinario* minoris.

## §. XLIII.

Cum emporiis conueniunt, & speciatim in *De liberis portibus*, commerciis maritimis vsum praestant *portibus*, *portus liberi*, quo nomine veniunt *loca conclusa ad litora maris*, in quibus *nauibus importantur merces & inde exportantur*: atque horum *munitio* simul aduersus vim tempestatum ac hostilem pro securitate mercantium prorsus expedit.

## §. XLIV.

Ex connexitate emporiorum & portuum *De ordine officiorum gentis erga se & alios* cum commerciis haud difficulter colligimus, vt 1) in erigendis & conseruandis *em se & alios* emporiis ac *portibus* idem, qui in *commerciis*, *ordo in erigendis emporiis & portibus* officiorum *erga se & erga alios* gentibus praefixus fit. 2) Vt obligationes & iura gentium *perfecta* ad emporia & portus constituentur  *sola pactione*.

## §. XLV.

Nomine *propolii* venit *pruilegium*, quo *cuiuslibet* *De iure* *bus*, aut certis quibusdam *personis* conceditur *propolii*.  
ante

Schrodt I. G.

F

*ante emere res importatas, quam eas emere licet peregrinis, aut personis aliis.*

## §. XLVI.

*De iure  
stapulae.*

**P**er ius *stapulae* (Niederlage, Schiff- und Anlandungszwang) cum AHASVERO FRITSCHIO (y) intelligimus ius in usum & commodum incolarum auctoritate & privilegio principis commercia mercium expositione & venditione in flumine publico (aut viis publicis) sistendi & retrahendi.

## §. XLVII.

*De propolis & stapulis ante erigendis.*

**P**ropolia, & potiori ratione *stapulae palam* repugnant *libertati commerciorum*. Quoniam itaque libertas commerciorum est iuris gentium naturalis, & non coarctanda, nisi in casu collisionis, vbi officia gentis erga se ipsam superiora sunt officiis erga gentes alias (§. 32.); inde quamlibet gentem in *propolis* & *stapulis* constituendis extra singulares rationes sui boni publici prouidam esse, *libertati & florì commerciorum* omnimodo congruit (z).

## §. XLVIII.

---

(y) *Diff. de regali mundinarum iure Cap. X. n. 13.*

(z) *Gonf. WOLF. I. Gent. Cap. II. §. 225. & seq. IOANN. WOLFG. TEXTOR de iure stapulae, & prae-*

## §. XLVIII.

**A** iure stapulae diuersum est, & consequenter penitus licitum ius *geranii* (*Krahn's Geranil. Berechtigfeit*): quippe iuri *uestigialis* connexum, & introductum ideo, vt fraudibus mercatorum & nautarum, *uestigialis* causa minorem mercium quantitatem profitentium, occurratur. Quamuis, vbi ius *stapulae* in vsu est, & *geranium* ei inferuiat (a).

## §. XLIX.

**T**andem ad florem commerciorum faciunt *De consules*, qui sunt *custodes iurium ac priuilegiorum mercaturae, nec non litium inter mercatores suae nationis iudices in emporiis maritimis, seu portibus constituti.*

F 2

§. L.

---

cipue IOANN. IAC. MASCOVII dissert. *de iure stapulae & mundinarum*, in qua plura non tantum ad ius publicum *uniuersale*, sed & ad ius publicum *articulare* I. R. G. speciatim ad illustrationem Cap. Caes. Art. VIII. pertinentia inuenies.

(a) Conf. STYPMANNVS *de iur. marit. Part. IV, Cap. II, §. II. & seq.*



## §. L.

*Iura & libertates  
consulium.*

**D**e his consulibus sequentes teneto propositiones. 1) Consules ratione *sui officii* manent subditi gentis *constituentis*: in territorio autem *recipientis* considerantur tanquam *peregrini*, negotiorum suorum causa in eodem commorantes. 2) Ius constituendi *consules* in territorio *alieno* est tantummodo *imperfectum*, & receptio consulum fit ex sola *humanitate*. Hinc 3) ius *perfectum* consules *constituendi*, & obligatio *perfecta reciproca* eos *recipiendi*, *ex pactis* deducitur, atque ex iisdem definiendum, quid circa *iura & libertates consulium* vtrique parti placuerit.

\* Super tota materia commerciorum conf. IOANN. FRID. L. B. BACCHOFF AB ECHT de eo, quod iustum est circa commercia inter gentes. Ienae 1730.

## §. LI.

*Officia  
gentium  
specialia  
circa au-  
gendam  
suam po-  
tentiam  
& securi-  
tatem.*

**Q**uod ad officia gentium mutua *circa augendam suam potentiam & securitatem externam* attinet, ea esse *imperfecta* dubio caret, quoniam in his officiis 1) vi libertatis naturalis relinquere debet genti exhibenti *iudicium*, an illorum praestatio *possibilis*, seu *innoxia* sit. Et sane

sane 2) obligatio naturalis horum officiorum cessat, si praestatio genti sit *noxia* v. g. *ob decrementum propriarum virium, propter aemulationem, aut inimicitiam tertiae gentis, vel ob metum iustum propriae laesionis.*

\* Huius generis officia sunt v. g. *iuvare* alteram gentem tum in *defensione*, tum in *persecutione* iurium suorum, illi in territorio nostro permittere *conscriptionem militis stipendiarum*, aut *praesidium fortaliti*. Sed quis non videt horum officiorum praestationem assignatis in §. *determinationibus* circumscriptam esse.

## §. LII.

Caeterum quoniam vnum ex praecipuis munimentis potentiae gentium est *multitudo incolarum* (Cap. I. §. 17.), quae *per matrimonia* propagatur; euidens est, ab officiis gentium mutuis circa promotionem suae felicitatis dependere *libertatem ambiendi & contrahendi matrimonia apud vicinas gentes*, de qua GROTIUS (b) differit.

## §. LIII.

Nec tamen in eo GROTIUS assentior, ut hanc libertatem iuribus *innociae utilitatis* Est imperfectum.

F 3

tis

(b) *De I. B. & P. L. II. C. II. §. 21.*

tis *passiuis* & consequenter *perfectis* inter gentes accenseam. Siquidem 1) in concessione huius libertatis inter gentes potius idea officii *innocentiae* vtilitatis *actiui* & *amoris* conspicua est. 2) Coactio repugnat *libertati matrimonii essentiali*, vt proinde foeminas ex declaratione suae ciuitatis *vniversim inuitas* ad matrimonium cum extraneis cogere, palam iniustum fit.

## §. LIV.

I. Exceptio  
in casu  
necessitatis,

**D**uas tamen exceptiones reperio. Prima est in casu *necessitatis*, si nempe *virorum* populo denegantur matrimonia, sine quibus se conseruare nequit, tunc enim *lex necessitatis* raptum virginum licitum facit (bb).

## §. LV.

II. Si denegatur  
matrimonium ex  
odio aut contentu.

**A**ltera exceptio est, si denegatio connubiorum speciatim fiat populo extraneo ex odio, aut contentu, siquidem hic in veram *iniuriam* abit gentis *contumelia*, ob quam indigna iuris contrahendi matrimonii aestimatur.

\* Ex hisce causis defenditur duplex raptus *Sabinarum* & *Siloitarum*: siquidem in priori Romanis fauet

12-

(bb) Conf. WOLF. *Iur. Gent.* §. 341.

ratio *necessitatis* : in posteriori obtinet ratio *odii & contemptus*, ex quo Siloitae Beniamitis rogantibus filias hostiliter negabant.

## §. LVI.

**E**x diuerso, quia *officia erga alios in pari causa* De iure excludendi  
*cedunt officiis gentis erga se ipsam*; nihil vetat, quominus gens excludere possit populum extraneum a connubiis 1) *ob metum seductionis*, exteros a matrimoniis.  
 2) *si in propria ciuitate copia sit unius & inopia alterius sexus*, 3) *si rationes singulares* v. g. bonorum, id exigant (c).

## LVII.

**T**andem officia gentium erga se inuicem Officia gentium circa promouendam  
*imperfecta* circa promouendam *existimationem, gloriam & bonorem* hisce praecipue capitibus includuntur, 1) vt quaelibet gens studeat augendis aliarum perfectionibus, quibus aliarum existimationem, gloriam & bonorem.  
*gloriam* mereantur: 2) vt agnoscant gentis alterius existimationem *intensiuam*, tantumque laudis & honoris ei tribuat, quantum meretur secundum suas perfectiones, modo haec obligatio non extendatur ad actiones & honoris signa *aequalitati* gentium contraria. Id enim legibus & officiis naturalibus gentis *erga se ipsam* manifesto repugnat.

F 4

§ LVIII.

---

(c) Conf. COCCEIUS ad GROTIUM loc. cit.

## §. LVIII.

*Officia  
humanita-  
tis erga  
principem  
exterum in  
alieno ter-  
ritorio.*

**E**x eadem ratione officiorum gentium erga se inuicem quoad honorem inferimus , principem extraneum , si territorium alienum ingreditur , honorifice excipiendum esse cum suo comitatu , eumque pro subdito TEMPORARIO non esse habendum , sed manere immunem ab imperio ciuili gentis , in cuius territorio ad tempus commoratur (d).

## §. LIX.

*Sine iure  
exercendi  
iurisdic-  
tionem. &  
cum obli-  
gatione  
principis  
non delin-  
quendi in  
alieno ter-  
ritorio.*

**E**nimvero cum ambitu & inuiolabilitate maiestatis ac iuris territorialis , singulis gentibus in suo territorio competentis , aperte pugnat , ut princeps in alieno territorio existens , inuito eius domino , actum iurisdictionis in suos ministros & comites exerceat : & multo magis , si princeps ipse delinquat in rempublicam , aut laedat ciuem alieni territorii , in quo versatur ; absque dubio ut hostis considerari , & iure belli coërceri potest (e).



PARS

(d) NETTELBLADT *Iurisp. nat. & ciu. L. III. Sect. 1. §. 439.*  
(e) Conf. COCCEIUS *in diff. de fundata in territorio potest etc.*



# P A R S II.

## IVS GENTIVM HYPOTHETI- CVM SEV ADQVISITVM.

### CAPVT I.

#### DE DOMINIO GENTIVM, EIVS- QVE ADQVIVITIONE ORIGINARIA.

##### §. I.

**I**n commentatione de iure gentium *hypo-* De domi-  
nio genti-  
um.  
*thetico* primum ius, ex quo officia gentium  
erga se inuicem *hypothetica* fluunt, sese offert  
*dominium*, vtpote quod tum *ex natura*, quae  
facultatem adprehendendi res nullius conce-  
dit, tum *ex facto humano occupationis* ortum  
trahit.

\* Hac ratione ista facultas naturalis *situlum*, factum  
occupationis *modum* acquirendi domini conficit.

F 5

§. II.

## §. II.

*Notio do-  
minii.*

**N**otio domini etiam respectu gentium consistit in iure perfecto disponendi de rei substantia, eiusque consecrariis: & quum ius & obligatio sint duo correlata; hinc iuri domini vnus gentis correspondet obligatio aliarum gentium perfecta negatiua ab omni turbatione domini sese abstinendi.

## §. III.

*Possibilitas  
& necessi-  
tas eiusdem  
inter gentes  
naturalis.*

**Q**uod possibilitatem, imo necessitatem domini inter gentes concernit, ea euincitur ex regula naturali: ius ad finem dat ius ad media. Enimuero medium ad conseruationem & perfectionem gentium necessarium est adquisitio domini; igitur ex iure seu facultate gentium naturali se conseruandi & perficiendi promanat ius acquirendi rerum dominia, ac proinde possibilitas, imo necessitas domini inter gentes iuris naturalis est.

## §. IV.

*Probatur  
contra  
Bynckers-  
boeckius.*

**P**osito hoc fundamento domini inter gentes naturali corrui philosophia BYNCKERS-HOECKII (f), qui extra casum foederis negat pro-

---

(f) *De dom. [mar. Cap. I.*

proprietatem atque dominia inter gentes, ex ratione, quod *omnis proprietas referatur ad leges ciuiles, quarum institutum gentibus in statu naturali adplicari nequit.* Et profecto ex hac thesi fluunt consecutaria, quae in *irrationabilem licentiam* ac violationem *aequalitatis & pacis gentium naturalis* aperte degenerant, ideoque *ad absurda* referuntur.

\* Talia consecutaria sunt, quod gentibus fas sit *coloniam* in *alienas terras* immittere, *novas sedes pristinis colonis migrare iussu* quaerere, *fines gentium aliarum turbare, inuadere*, quoad *foedere* aliter non sit conuentum (g).

### §. V.

**M**odus acquirendi domini inter gentes ex doctrina GROTHII (h) duplex est. *Originarius*, quo acquiritur dominium rerum nullius: & *deriuatiuus*, quo acquiritur dominium rerum in dominio iam existentium. Vterque iterum est *principalis*, quo acquiruntur res ipsae: vel *accessorius*, quo acquiruntur rerum accessiones.

*Modus adquirendi domini vel originarius vel deriuatiuus, & uterque vel principalis, vel accessorius.*

### §. VI.

(g) Conf. DARIUS *Elem. Iurispr. uniu. Part. spec. Sect. VIII. Cap. II. Tit. II. §. 968.*

(h) *De I. B. & P. Lib. II. Cap. III. §. 1.*



## §. VI.

*Modus ad-  
quirendi  
dominii  
originari-  
us est oc-  
cupatio.*

**M**odum acquirendi domini inter gentes originarium simpliciter talem & vnicum ponimus in *occupatione*, quae fit *adprehensione rei nullius animo sibi habendi propriam*, atque adeo sequentia exigit requisita: 1) vt fiat in re nullius, 2) vt res sit *adprehensibilis*, 3) vt accedat *adprehensio* siue *immediata* aut *physica*, siue *mediata* aut *moralis*, & quae 4) coniuncta sit cum *animo rem sibi propriam habendi*, id, quod vocatur *possessio iuridica*.

\* Equidem in propositione huius §phi a me dissentit GROTIVS (i), qui acquisitionem domini originariam *primario* collocat in *diuisione*, per quam a *primaeua rerum communiione* difcessum esse putat. Ex quo sequitur iuxta GRIBNERVM (k), vt occupatio inter gentes *possessionem* quidem, neutiquam vero dominium *absque aoccedente pacto* aliarum gentium saltem *tacito* tribuat. Ast quemadmodum illa, quae GROTIVS de *primaeua rerum communiione* *positiua* & subsecuta diuisione profert, fabulam sapiunt; ita conclusio GRIBNERI facile refellitur hoc axioma: *qui non potest dissentire, non debet consentire* (l).

Enim-

(i) *De I. B. & P. Lib. II. C. II. §. 2.*

(k) *In Iurisprud. Nat. Lib. III. Cap. III. §. 5. not. 3.*

(l) *Conf. COCCEIVS ad GROT. Lib. II. Cap. III. §. 1.*

Enimuero aliae gentes quoad occupationem *singularum rerum nullius* non possunt dissentire, quippe communio rerum *negativa* ex sua notione inuoluit quidem *ius commatum, adprehendendi res nullius*, singulis vi libertatis naturalis *in solidum* competens, non vero arguit ius, *excludendi* singulos ab occupatione rerum dominio vacuarum, igitur adquisitio singularis domini per occupationem *rerum nullius a consensu* aliarum gentium minime dependet (m).

## §. VII.

**P**raecipua & propriae gentium naturae conueniens est occupatio *regionis vacuae*, qua De occupatione regionis vacuae. mediante genti occupanti acquiritur non tantum *dominium*, sed & *imperium civile*, ita, vt regio occupata fiat *territorium* gentis occupantis, ea ex ratione, *quia genti, qua tali, competit imperium, & consequenter dubitari nequit, quin gens illud in regione occupata sibi habere velit*; atque hinc legitime sequitur, imperantem civilem, vtpote qui repraesentat gentem, *dominium territorii, siue regionis intuitu gentium extranearum* existere (n).

## §. VIII.

(m) Perillustris DE MARTINI in *Posit. Iur. Nat. Cap. XIII. §. 372. Et ACHENWALL Iur. Nat. L. I. Sect. II. Tit. I §. 116. \**

(n) WOLF. *Iur. Gent. Cap. I. §. 85.*

## §. VIII.

*Effectus occupatio- nis per uniuersitatem seu publicae quoad partes territo- rii.* Occupatio territorii, notante GROTIUS (o), fit per *uniuersitatem*, seu *publica* est continens complexum omnium partium territorii & iurium publicorum, adeo, vt *quidquid intra fines illius territorii comprehenditur, censeatur esse sub imperio & dominio generali gentis occupantis*, quapropter intuitu *gentium extranearum* procul dubio verum est axioma: *Quidquid est in territorio, est de territorio; ideoque de territorio esse praesumitur, donec de veritate contrarii appa- ruerit* (p).

## §. IX.

*De parti- bus & ac- cessionibus territorii speciali- bus.* Ex hac regula sequentes cum GROTIUS (q) immediate deducimus conclusiones: I) vt occupato territorio censeantur esse occupa- ta, & sub dominio gentis *generali* contine- antur tanquam *partes* territorii, *loca deserta & sterilia*, aut *inculta*, vti *lacus, stagna, fyrtes, syluae, montes asperi*, & ea, quae terrae quo- cunque

(o) *De I. B. & P. Lib. II. C. II. §. 4.*(p) Conf. HEINEC. *Elem. iur. nat. & gent. L. I. Cap. IX. §. 243.*(q) *Ibid. loc.*

cunque modo adhaerent, vti *metalla* & *minerae* in visceribus terrae reconditae. 2. Vt simul cum territorio censeantur esse occupata *flumina*, qua per territorium fluunt, *ripae*, *alvei*, adeoque & *insulae*, nec non *portus*, inuenta in litore \*, vtpote quae sunt *portio* aut *incrementa* fluminis. 3. Vt simul cum territorio occupabilia sint *maria* oceano *minora*, seu *particularia*, quandoquidem & haec considerari possunt qua *accessio* territorii, cuius finibus vndique conclusa sunt, eorumque possessionem & custodiam cum animo & iure *dominii* occupare & defendere haud difficile est (r).

\* Quemadmodum hoc ius litoris naturaliter referri debet ad *adspota*; sic ratione naturali caret consuetudo, sisco vindicandi res *mausfragorum* ad litus appulsas, aut mari extractas, quamuis has res custodiri a gente, ad cuius litus appellunt, vel mari extrahuntur, officia *imperfecta* postulent, & *perfectio* non repugnet, a dominis reposcentibus pro hac custodia exigi certam pecuniae summam, quae *seruaticii* (*Bärgegeld*, *Bärgeohn*) nomine venit (s).

## §. X.

(r) BYNCKERSHOECK *tract. de dom. mar. C. III.*, qui illud exemplo maris mediterranei, quod olim Romanorum proprietati subsuit, egregie illustrat.

(s) Conf. post GROT. de I. B. & P. Lib. II. C. VII. S. 1. IAC. SCHVBACK *de iur. litt.* IVST. HENNING,

## §. X.

De occupatione  
maris.  
Rationes  
eam negandi.

**A**st grauior & scriptis & armis ventilata disceptatio est de *mari vasto*, siue *oceano*, *an hic per occupationem in proprium ius alicuius gentis cedere possit?* Sunt enim, qui cum GROTIUS (t) negant, mare sumptum aut sub ratione *integri*, aut sub ratione *praecipuarum partium* esse capax dominii, idque arguunt 1) ex vsu *maris inexhausto*, seu omnibus sufficiente, 2) ex defectu *terminationis* in *oceano* tanquam re *liquida* & terra maiori, 3) ex impotentia *physica*, gentes alias ab vsu *maris* excludendi.

## §. XI.

---

BOENMER de *Seruaticio*, & NETTELBLADT *Iurisp. nat. civ. L. II. Sect. 1. memb. III. §. 420.*

(t) In tractatu, qui inscribitur: *mare liberum*, seu *de iure, quod Batavis competit ad commercia Indica*, & *de I. B. & P. Lib. II. C. II. §. 3.*, quem praecipue sequuntur IOANN. ISAAC. POTANVS *discuss. histor. de mari libero aduersus* IOANN. SELDENI *mare claus.* Harderv. 1637. & 1640. THEODOR. GRASWINCKEL *in vindic. aduersus* PETR. BAPTIST. BVRGVM, *ligustici maris dominii assertorem*, & *in vindicatione maris liberi aduersus* GVIL. WELWOODVM, *Britanici maris dominii assertorem*, & IOAN. GROENINGIVS *de nauig. libera.* Lubec. 1698.

## §. XI.

**E**x diuerso alii sunt, qui cum SELDENO (u) <sup>Rationes affirmandi.</sup> omnino affirmant *dominium* maris, quorum argumenta eo redeunt, quod nec ipsa maris *natura*, nec *ratio moralis* occupationem illius impediatur, quia 1) etiam terra est res *inexhausti* vsus, & tamen *in totum*, vel *diuissim* occupari potest. 2) Quia mare est res terminata per terminos saltem *alienos*, seu *artificiales*, vti per *promontoria*, *insulas*, *litora*, vt proinde 3) occupari queat *vi classis*, vel occupatis *insulis*, aut *litoribus*, ibique *fortalitiis* exstructis, ex quibus prohiberi ab ingressu maris reliqui possunt.

## §. XII.

**H**isce rationibus vtrinque ponderatis distinctione rem expedit: vel enim fermo <sup>Distinguitur inter mare totum,</sup> est <sub>tum,</sub>

---

(u) *De mari clauso, seu de dominio maris.* Londini 1736. & *in vindic. maris clausi contra GRASWINCKEL* Londini 1653. Cui inter caeteros consentiunt GVIL. WELWOODVS *de dominio maris, dominiique iuribus* Lond. & Hagae 1653. IOACH. HAGEMEYER *syllog. diff. de imperio maris* Francof. 1663. & IOAN. STRAVCHIVS *diff. de imperio mar.* 1674.

Schrodt I. G.

G

est de mari *toto* & *uniuersum* sumto; & in hac consideratione mare dominii *uniuersalis* gentis vnus incapax esse satis innotescit ex regula §. 4. praemissa, quod ad occupationem dominii adquisitiuam requiratur res *apprehensibilis*, & *factum sufficiens*, rem in potestatem occupantis *physicam* redigendi: At vero tale factum quoad *totum* oceanum intuitu vnus gentis per *naturam maris* & *experientiam* implicat; ergo,

## §. XIII.

*Et inter  
partem  
maris  
quoad  
vsus vel  
noxios, vel  
innoxios.*

Vel sermo est de *parte* maris; & quoad occupandam maris proprietatem vsus maris *noxii* & omnibus *non sufficientes* separari debent ab vsibus *innoxiis* & *inexhaustis*. Nempe quoad vsus *noxios* occupationem maris iustam esse abunde euincitur ex rationibus in §. II. recensitis: quoad vsus vero *innoxios* negamus, *dominium* maris ab aliqua gente occupari posse. Siquidem talis occupatio aduersatur obligationi gentium erga se inuicem naturali *perfectae* quoad officia *innoxiae utilitatis passiuae* (w).

\* Tales vsus maris *noxii* sunt *inuentio rerum pretiosarum*, *collectio concharum*, *coralliorum*, *gemmarum*, *exstructio*

(w) *Sup. P. I. C. III. §. 10.*

*fructio aedificiorum aut munimentorum in litore maris, excoctio salis, piscatio saltem MAIOR, vti cetorum. Ad vsus vero innoxios refertur piscatio INFERIOR, nauigatio INERMIS, & INNOXIA, & sine quibus haec nauigatio exerceri nequit, vt appellere ad littora va-  
titudinis vel tempestatis causa, nauem alligare, retia fe-  
cere, casam ponere (x).*

§. XIV.

**A**ttamen quoniam *dominium & imperium* duo De occupa-  
tione  
maris  
quoad im-  
perium  
absque do-  
minio. iura *distincta* sunt, quorum vnum sine al-  
tero subsistere potest; facile largimur, *impe-  
rium* in maris partem *absque dominio* occupari  
posse. Atque hoc casu *usus* maris, quippe  
qui in dominio continetur, gentibus simpli-  
citer *communis* manet, vt facultas non solum  
nauigandi, sed & *corallia & conchas colligendi*  
genti cuius libera maneat.

§. XV.

**N**ec aliquis cum *HVBERO* (y) obmoueat, Responde-  
tur Hube-  
ris. *imperium tribuere omnia, quae dominium ma-*  
ris

G 2

- 
- (x) Conf. HENR. DE COCCEIIS *in Comment. ad GROT.*  
*loc. cit.* GRIBNER *Iurispr. nat. L. III. Cap. III. §. 7.*  
WOLF. *Iur. Gent. §. 12. & seq. §. HOCHSTET. Col-  
leg. PVFEND. Exercit. VIII. §. 4.*
- (y) *De iur. ciu. L. II. C. XI. §. 14. ubi suam prioram opi-  
nionem alibi defensam deserit.*



ris principi aut populo tribuere queat, adeo, ut iure imperii exteris prohiberi & piscatio & nauigatio posset aequae, ac introitus in terras alienigenis ab eo, qui imperat ciuitati, interdici potest. Nam reuera id metiendum venit ex voluntate gentis occupantis, ex qua, si solum imperium occupatum est, vsus maris communis manet, nec sine iniuria quis eo prohiberi potest: sed si dominium occupatum est; alii excluduntur iure vtendi, v. g. iure colligendi conchas, & ius communionis primaevae reuiuiscit tantum in casu necessitatis, praetereaue non competit, nisi ius innoxiae utilitatis, quod non confundendum cum iure, cui locus est in mari quoad imperium saltem occupato (z).

- Effectus speciales imperii maris sunt iura imponendi *uestigalia* nauigantibus, ferendi *leges maritimas*, *coercendi* pyratas, puniendi delinquentes in mari, & postulandi *recognitionem* imperii v. g. *demissis velis*.

## §. XVI.

De iustitia pacis, ne ultra certum, Caeterum in quaestione, an populus aliquis pacisci possit, ne ultra certum terminum nauigetur?

---

(z) WOLF. loc. cit. & VATTEL droit des gens Liv. 1. §. 295.

getur? omnes cum GROTIUS (a) *affirmando* con-terminum  
fentiunt, quoniam gentes pro lubitu de suo *nauigetur.*  
iure *disponere*, indeque iuri nauigandi vel in  
totum, vel in tantum *renunciare* possunt, vt  
id pluribus exemplis ex historia gentium pe-  
titis corroborat idem author.

## §. XVII.

Quod ad *insulas* in oceano natas, aut dete-De occu-  
ctas attinet, illae, quatenus ab *imperio* *patione*  
& *dominio* vacuae, seu *inhabitatae* sunt, absque *insularum*  
dubio sunt *res nullius*, nec *inexhaustum* vsum *in mari*  
praebent. Quare a qualibet gente occupa- *natarum,*  
ri, coloniaeque in iis condi queunt. Et *seu dete-*  
quia gens hoc modo occupans *ctatum.* *vi occupationis*  
*dominium* & *imperium* in illis acquirit (§. 7.);  
consequens est, *insulas* in oceano occupatas  
pertinere ad *territorium* illius gentis, quanto-  
cunque interuallo ab eodem distent, vt ideo  
perinde sit, ac si eidem essent *conterminae*,  
aut *iisdem limitibus* inclusae (b).

G 3

§. XVIII.

(a) *Loc. cit.* §. 15.(b) Conf. WOLF. *Iur. Gent. Cap. II. §. 291. & seq.* &  
L. B. DE ICKSTATT *Elem. Iur. Gent. Lib. III. Cap. II.*  
§. 7. & seq. *ubi praeterea docet, ex quibus factis occu-*

## §. XVIII.

*Cessat occupatio in terris continetibus, aut incontinentibus iam occupatis.* **A** contrario ex *notione & requisitis naturalibus* occupationis (§. 6.) protinus dignoscitur, cere licet, in quibus rebus inter gentes *cesset occupatio*. Et quidem ex primo axioma, quod occupatio tantummodo locum habeat *in re nullius*; palam sequitur, iniuria non vacare occupationem gentium quoad terras *continentes, aut incontinentes* ab alia gente *iam occupatas*.

## §. XIX.

*Non sufficit titulus inuentianis.* **N**ec minus ex eadem causa cum GROTIUS (c) colligimus, pro acquisitione domini *originaria* gentibus exteris non sufficere titulum *inventionis* quoad terras quidem *incognitas*, sed *habitatas*. Nam quum terrae eiusmodi non sint res *nullius*, sed ab incolis iam occupatae; suapte elucescit, ius *dominii*, quin & *imperii* populo *originario* quaesitum esse, quod ei *inuito* auferri contra legem naturalem non potest.

## §. XX.

---

*patio eiusmodi insulae eruat, & quid iuris sit in casu, quo plures gentes abus insulae occupatitios simul suscipiunt.*

(c) *De I. B. & P. Lib. II. C. XXII. §. 9.*

## §. XX.

**N**ec pro iustitia huius occupationis allegari potest, quod incolae harum terrarum sint *betis* INGENII, inculti, imo quoad religionem & virtutem moralem improbi. Siquidem iuxta dicta (d) ex hoc stupore, barbarie, aut impietate enascitur quidem officium aliarum gentium *imperfectum*, perficiendi eiusmodi gentes: nullam vero talis stupor aut improbitas gentibus exteris laesionem infert; ac per consequens istae ad reparandum agere nequeunt (e).

*Refutatur  
causae  
praetextae  
huius  
tuli.*

\* Quid iuris hac in re tribuat *concessio*, aut *donatio* Pontificis? ex genuinis iurisprudentiae ecclesiasticae fontibus & regulis, quae primatum ecclesiae, pro tuenda *unitate* religionis diuinitus institutum, ad *temporalia* prorogare nesciunt, probe iudicari potest.

## §. XXI.

**E**x secundo axioma, quod ad occupationem requiratur res *apprehensibilis*, sequitur, nullam acquisitionem domini gentibus esse in *aere*, *lumine*, aut *calore solis*. Et si ex-

*Nulla est  
occupatio  
in aere,  
lumine,  
aut calore  
solis.*

G 4

teri

(d) *Sup. P. I. C. II. §. II.*

(e) *COCCIVS ad GROT. loc. cit.*

teri excludantur ab vsu *aeris*, quatenus territorio includitur, illud non tam ob *proprietas* ius, quod in aerem sibi adferit ciuitas, quam ex aliis causis *ciuilibus & politicis*, ob quas exteros a finibus territorii arcendi ius est, fieri scite animaduertit L. B. DE ICKSTATT (f).

## §. XXII.

*De con-  
cursu plu-  
rium gen-  
suum in  
occupatio-  
ne.*

**E**x tertio axioma, quod occupatio perfici debeat *apprehensione*, claram concipimus rationem, quare in casu, si vna gens declarat, se v. g. quendam terrae incultae tractum occupare velle, alia vero gens postea *prior* fuerit *apprehensione*, haec, non illa *occupatione domina* censeatur (g).

## §. XXIII.

*Fines ori-  
ginarii  
territorii  
aestimantur  
ex voluntate  
occupantis.*

**D**enique ex quarto axioma, quod occupatio debeat esse *coniuncta cum animo rem sibi habendi propriam*, ratio in promptu exstat, cur per occupationem a gente quadam tantum censeatur esse aduersum, quantum illa gens manifestis signis occupauit; ac per

---

(f) *Elem. Iur. gent. L. III. C. II. §. 15.*

(g) *ACHENWALL Iur. Nat. L. IV. Sect. III. §. 231.*

consequens fines *originarii* territorii occupati vnice *ex voluntate & facto* gentis occupantis dimetiendi veniunt.

#### §. XXIV.

Quandoquidem tamen super hoc facto occupatorio & coniectura voluntatis facile oriri possunt controuersiae inter gentes; hinc ad praescindendas eiusmodi lites pacis gentium naturali plane consentaneum est, vt limites regionum aut, si mauis, territoriorum publicis *pactionibus* inter gentes vicinas defigantur.

*Vel optime ex pactis limitum.*

#### §. XXV.

Ex hisce modis, constituendi limites territorii inter gentes, fluit partitio finium publicorum, seu territorialium in *naturales, artificiales & politicos mensuratos*. Fines naturales sunt, quos ipsa veluti *natura* constituit, vti sunt *fluuii, paludes, ripae, montes &c.* Fines artificiales sunt, qui *opera hominum* sunt confecti. Fines politici mensurati sunt, qui cum certa *mensuratione se relatiue* ad alterius gentis ius habent.

*Diuisio finium in naturales, artificiales & politicos mensuratos.*

## §. XXVI.

*Diuisio  
territorio-  
rum in  
arcifinia  
& limita-  
ta.*

**P**orro hac ratione *naturali* sustinetur distinc-  
tio GROTH (h) in imperia seu territo-  
ria *arcifinia*, & *limitata*. Siquidem territoria  
*arcifinia* sunt, quae limites nonnisi *naturales*  
seu *occupatorios* habent: territoria vero *limita-  
ta* sunt, quae limitibus *artificialibus*, aut *poli-  
ticipis* per pacta *mensuratis*, circumscripta sunt.

\* Dico: *ratione naturali*, vt GROTHVM vindicem a crisi-  
illorum (i), qui distinctionem in *agros arcifinios &  
limitatos*, vtpote quae in iure ciuili L. 16. ff. de ad-  
quir. rer. dom. sedem inueniat, iuribus & territoriis  
liberarum gentium incongrue adcommodari obmo-  
uent.

## §. XXVII.

*De flumi-  
ne, quod  
duo terri-  
toria dis-  
terminat.*

**E**x hisce principiis facile responderi potest  
ad quaestiones speciales, quarum prima  
est, *quid iuris sit circa flumen, quod duo territoria  
determinat?* Quum enim vsus fluminis limi-  
tanei vtriusque gentis vtilitatibus inferuiat,  
& natura nulli genti largiatur praerogatiuam  
prae

---

(h) *De I. B. & P. Lib. II. C. III. §. 16.*, cui ascendit WOLF.  
*iur. gent. C. I. §. 18.*

(i) GRONOVII & COCCEN *ad GROTH. cod. loc.*

prae altera (k); proin aequitati naturali maxime consentanea est praesumptio, eiusmodi *flumen* vna cum territorio simul ab vtraque gente ita esse occupatum, vt *imperia & dominia* vtrinque ad *medietatem* fluminis pertingant. Excipe tamen 1), nisi vna gens prior *totum* flumen occupauerit, idque probetur: 2) nisi gentes ita inter se *pactae* sint, vt flumen vel in *totum*, vel quoad *maiolem partem* vni genti proprium esse debeat (l).

## §. XXVIII.

**A**ltera quaestio est, *an termino fluminis mutato etiam imperii fines mutati censeantur?* De mutatione finium termino fluminis mutato.  
 Vbi GROTIUS (m) recte distinguit inter territoria *arcifinia & limitata*. In *his* ait, manere priorem terminum, atque exinde infert, limitem *manufactum*, vel *quantitate* comprehensum non mutari per secessum fluminis adeo, vt quidquid per alluionem accedit, fiat *nullius*, ac cedat occupanti: ast in *illis* territoriis, quae terminos *naturales* habent, vt flumen

(k) *Sup. P. I. C. II. §. 3. seq.*(l) Conf. GROTIUS, *loc. cit.* WOLF. *iur. gent.* §. 106.(m) *Loc. cit.*



men &c. , priorem imperii terminum accessione *alluisionis* mutari statuit, quia , quum flumen stet pro *perpetuo linitite* , termini territoriales semper sequuntur *cursum fluminis* , & cum eo mutantur.

## §. XXIX.

*De mutatione in iure fluminis ter alluisionem.* **I**nde per modum corollarii cum WOLFIO (n) inferimus, vt, si *flumen totum fuerit gentis unius, haec facta alluisione dominium & imperium in tote retineat*: si vero vtrinque dominium & imperium *ad medietatem* pertingat; *id alluisione facta adhuc ad medietatem fluminis sese extendet.*

## §. XXX.

*De mutatione finium per desertionem alvei.* **T**ertia quaestio est, *an alvei desertione fines imperii mutantur?* Idque *indistincte* negamus. Quum enim flumen *linitaneum* ex *alveo* & *aqua profluente* constet; hinc, etiam si flumen *derelicto alveo* pro *termino* amplius spectari nequeat, vtpote quod esse desit, *alueum tamen,*

---

(n) *Loc. cit. §. 109.*

men, qui *pars* est illius fluminis, iuxta antiquam *mensuram* manere *terminum*, dubio vacat.

\* Posita hac ratione non indigemus coniectura GRO-  
TII, quod ea mens populorum fuisse censenda sit, ut si  
flumen esse defisset, tum quisque teneret, quod tenuisset.

§. XXXI.

Caeterum quoniam flumina sunt limites Fines ter-  
ritorii territorii *naturales*, limitatio vero terri-  
torii quoad fines *artificiales*, aut *politicos* est praesum-  
tione sunt  
naturales. *facti*, quod per notoria *ab allegante* probari  
debet; hinc territoria, quae *ad flumen* per-  
tingunt, iure *arcifiniorum* cenferi,  
cum GROTIUS tuto concludi-  
mus (o).



CAPVT

(o) Conf. CHRIST. AVG. MENIVS *de finibus territorii*,  
Lipsiae. 1740.

## CAPVT II.

DE IVRIBVS ET EFFECTIBVS  
DOMINII INTER GENTES.

## §. I.

*Iura specialia domini.*

Quum dominium ex sua notione, C. praec. §. I. praemissa, complectatur *ius perfectum disponendi de rei substantia eiusque consecrariis*, atque adeo vi libertatis naturalis hoc ius sese extendat ad omnes actus circa talem rem *possibiles*; facile conficimus, iura *specialia*, quae ex dominio gentium proueniunt, esse  
1) *ius possessionis*, 2) *ius percipiendi omne emolumentum ex re sua*, 3) *ius alienandi*.

## §. II.

*Ius gentis, alios excludendi ab usu sui territorii.*

Ex iure *possessionis* sequitur ius gentis, quemcunque alium ab usu rei suae *excludendi*. Quoniam itaque quaelibet gens est *domina* sui territorii (p); penes quamlibet gentem residet *ius, quemcunque alium ab usu sui territorii excludendi*.

## §. III.

(p) P. II. G. I. §. 7.

## §. III.

Huic iuri dominii correspondet obligatio *Obligatio correlati-ua, abstinen- di a turbatione dominii.* aliarum gentium *negatiua perfecta*, ab omni *turbatione dominii sese abstinenti* (q). Iam vero manifestam turbationem dominii inuoluunt *propagatio iniusta finium imperii, inuasio, aut occupatio alieni territorii, & conatus gentem expellendi ex regione, quam incolit; igitur nulli genti licet propagare (citra iustam causam) fines imperii, inuadere, vel occupare alienum territorium, aut prorsus expellere gentem ex regione habitata, ut sedem ibidem figat* (r).

## §. IV.

Attamen istud ius gentis, excludendi alios *Obligatio, concedendi habitacionem aduenis, aut populis sede sua expulsi,* ab usu sui territorii, concipi debet *sal. concedendi habitacionem aduenis, aut populis sede sua expulsi,* *uis obligationibus naturalibus*, ex quibus fluunt iura *necessitatis & utilitatis innoxiae* (s). Quum itaque tale ius *innoxiae utilitatis sit habitatio concedenda sede sua expulsi, & receptum quae- rentibus;* hinc cuilibet genti incumbit officium naturale, *concedendi habitacionem aduenis,*

(q) *Sup. loc. cit. §. 2.*(r) *Conf. WOLF. I. G. Cap. III. §. 282, & seq.*(s) *Sup. P. I. C. III. §. 4. & 10.*

nis, aut populis, qui sedibus suis expulsi receptum quaerunt, dummodo sese imperio gentis recipientis submittant.

## §. V.

*Est imper-  
fecta.*

**E**nimvero hoc officium est innoxiae utilitatis *actiuum*, in cuius praestatione vi *libertatis naturalis* standum est IUDICIO domini, an vsus concedendus sit sibi *innoxius*, nec ne (t)? Quamobrem officium gentis, *concedendi habitationem sedibus suis expulsi & receptum quaerentibus*, naturaliter esse *imperfectum absque correlato iure cogendi extra casum summae necessitatis*, colligimus.

\* Haec obligatio gentis erga aduenas in regula fortior quidem est quoad loca *sterilia & inculta* territorii tum ex idea utilitatis *innoxiae*, tum ex sensu officii gentis *erga se ipsam* in promouenda propria felicitate *per augmentum ciuium & agriculturam* ( P. I. C. I. §. 12. 16. 17. ): subsistit tamen intra terminos obligationis *imperfectae*, ita, vt citra casum *necessitatis extremae*, aduenis nefas sit, solum etiam *desertum ac sterile, inuita gente domina*, occupare (u).

## §. VI.

(t) P. I. C. III. §. 9.

(u) COCCEIUS ad GROET. L. II. C. II. §. 17. *etiam si GROTIUS dissentiat.*

## §. VI.

**E**t quoniam officia relatiua a gente adimpleri debent non nisi *absque laesione sui*; ideo genti competit *ius*, *arcendi a suo territorio sedibus suis expulsos & receptum quaerentes*, si obstant rationes *singulares* (vti, ob *periculum* statui & imperio ciuili imminens), aut saltem genti recipienti integrum est *ius*, adhibendi cautiones, quibus respublica *contra seditiones* in tuto collocatur.

\* Inter tales cautiones praecipuam esse censeo, vt eiusmodi aduenis habitationes *segregatae* citra formulam & iura *separatae* nationis assignentur. Nam in concedendo peregrinis iure *indigenatus* eandem *humanitatis* rationem, quam *in receptu*, obseruandam esse suppte liquet (w).

## §. VII.

**M**aiorem gradum *innociae utilitatis* habet *ius*, *transseundi* per alienum territorium, ibique *ad tempus* commorandi ob causas *iustas*, adeo, vt concessio huius iuris in censum officiorum *innociae utilitatis passiuorum* merito

re

---

(w) Vattel *droit des gens* L. II. C. X. §. 136.

Schrodt I. G.

H

referatur. Iam vero officia innoxiae vtilitatis *passiua* iure gentium naturali sunt officia necessitatis (x); itaque officium, permittendi *transitum & commorationem* exteris, qui eo ob *iustas* causas opus habent, inter gentes est *necessitatis*, ac per consequens *denegatio transitus & commorationis* peregrinis facta *iniuria* est (y).

## §. VIII.

Saluo iure  
gentis ter-  
ritoriali.

**N**ihilominus hoc officium innoxiae vtilitatis *passiuum* prius *postulari*, & *qua tale* intelligi debet, *saluo iure territorii generali*, & *absque damno* gentis *transitum* concedendis. Priori itaque iure penes gentem territorii *dominam* residet potestas *praescribendi conditiones & leges* etiam *transeuntibus*\*. Posteriori de causa gens pollet 1) iure, exigendi aliquid *in compensationem onerum*, quae *ob transitum*, seu *transuectionem mercium* sustinet: 2) libertatem *transitus ex causis singularibus restringendi\*\**, aut plane *prohibendi* (z).

\* Ex

(x) P. I. C. III. §. 10.

(y) Conf. DARIUS *Discours über das Völkerrecht Part. spec. Sect. VIII. C. II. Tit. I. §. 953.*(z) Conf. HERTIVS *de seruitute naturaliter constituta cum inter diuersos populos, tum inter reipublicae ciues Sect. I. §. 2.*

\* Ex hoc principio demonstrationem de subiectione *temporaria*, & consecretaria obligatione aduenarum *ad leges territorii*, per quod transeunt, vel in quo ad tempus commorantur, in nostro System. I. P. V. Part. II. §. 21. iam praestructam habes:

\*\* Huc quoque pertinet differere de iure *albinagii*, quod duplici sensu spectatur: vel enim denotat *legem seu constitutionem*, vigore cuius *exteri a successione & testamenti factionis alicuius iure excluduntur*, eorumque *bona post mortem fisco vindicantur*; & hoc cum iure gentium naturali, nisi ex causa repressaliarum, aegre conciliabitur, quia 1) repugnat *facultati testandi naturali*, quae sicuti *ciuibus perpetuis*, ita magis *peregrinis*, quàm *subditis temporariis*, in alieno territorio libera manet (a). 2) Minime conueniens est officii *humanitatis gentium erga se inuicem*, sed natum ex *sinistro odio peregrinitatis*, aut inconcinna applicatione iuris Romani quoad differentiam inter *ciues Romanos & peregrinos* (b). 3) Maxime inimicum est *commerciis* (c). Vel iure *albinagii* intelligitur illud *ius*, quo *exteri iure successione in bonis defuncti eius excluduntur*, & per consequens nec in *testamento institui possunt haeredes*, nec *legata* *hisdem* relinqui; & hoc fuit *ex iure territoriali*, cuius

H 2

tamen

(a) WOLF. *Iur. Gent. Cap. III. §. 327.*

(b) GROT. *L. II. C. VI. S. 14.* & LVDEWIG. *in tract. de iure albinagii & wildfangiatu.*

(c) L. B. DE ICKSTATT *Elem. Iur. Gent. L. III. Cap. V. §. 29. cum coroll. & schol.*



tamen exercitium e re cuiuslibet ciuitatis & rationibus *politiceis* determinandum (d).

## §. IX.

*Iustitia  
uestigiali-  
um inter  
gentes pro-  
batur.*

**E**x hoc fonte palam manat iustitia *uestigialium* inter gentes, quae *personis & mercibus* per terras *transeuntibus* imponuntur. Siquidem illa fundamentum habet 1) *in iure territorii generali*, 2) *in iure singulari* exigendi *uestigialia in vicem securitatis*, quam dominus territorii *transeuntibus* praestat, nec non *in compensationem sumptuum*, quos *ad reparationem viarum, pontium, litorum &c.* impendit, & cuius utilitas omnibus *transeuntibus communis* est (e).

■ *Variae sunt species uestigialium, quorum alia sunt terrestria, alia naualia. Terrestria porro in pedagia & vectoria: naualia autem in maritima, fluminiatice & ripatica* dispescuntur.

## §. X.

*De obligatione in conscientia.*

**P**osito hoc fundamento *uestigialium*, obligatio *non defraudandi uestigialia* deducitur ex

(d) DARIES *in Discours über das Natur- und Völkerrecht. Part. spec. Sect. V. Cap. II. §. 736. Coroll. 2.*

(e) Conf. GROT. *L. II. Cap. II. §. 14.* COCCEL. *ad loc. cit. & STRAVCH. diss. de regali uestigialium iure Ienae, 1669.*

ex lege naturali *de non laedendo* imperantem in *ita ad so-*  
*iure territorii & suae indemnitate* : aut ex *pacis* *lutionem*  
*tacito*, quo transiens per alienum territorium *vectigali-*  
*um.*  
 ad haec onera se obstringit. Quamobrem,  
 quum lex naturalis *de non laedendo & non violan-*  
*do pacto conscientiam liget*; obligatio etiam, non  
 defraudandi vectigalia, in foro non tantum  
*externo* (quoad poenam defraudatoribus vecti-  
 galium praefixam) sed & *interno* firma existit.

\* Quae haecenus dicta sunt, intelligi debent de tran-  
 situ *singulorum*, & *inermi*. Grauior enim quaestio  
 superest de transitu gentis *armato cum exercitu* per  
 alterius ciuitatis territorium, cuius decisionem ad  
 P. III. de *causis belli* reuicimus (f).

## §. XI.

Porro iuri dominii *in exclusione* aliorum cor- *De iure*  
 relatiua est obligatio *perfecta*, restituendi *gentium*  
 rem *alienam*, vtpote sine qua restitutione tur- *vindicam-*  
 batio dominii, & consequenter laesio *perpe-*  
*tua* foret. Quamobrem ob nexum correlati-  
 uorum cum iure dominii gentis connexum est  
*ius, petendi ab altera restitutionem, & vindicandi*  
 rem ac speciatim regionem sua

H 3

§. XII.

(f) CONF. PHIL. STREIT *de transitu innoxio & uocato per*  
*alienum territorium.* Alt. 1715.

## §. XII.

*De iure ex-  
pulationis.*

**E**t quoniam ob *expletionem iuris* sui in statu naturali *necessitas mediæ ad finem* progenerat ius ad *aequipollens*; sequitur, genti dominae dari ius, accipiendi *aestimationem* aequiualem, seu *occupandi* regionem aliam illius gentis, quae rem aut regionem eius cum iniuria detinet (g).

## §. XIII.

*Negatur  
ius bonae  
fidei pos-  
sessoris pe-  
tendi re-  
fussionem  
pretii.*

**N**ec genti, quae alienam regionem *bona fide* emptam possidet, praecipuum manet ius, postulandi *refussionem pretii* a gente domina. Siquidem lege naturali fortius est ius *domini*; & quum pretium emtori non absit facto genti *dominae*, sed *venditoris*; res genti *dominae gratis* est reddenda, emtor autem a venditore pretium, quod ex re aliena adeoque *ultra suum* habet, iusto repetit (h).

\* Quid iuris in hac re obtineat circa *restitutionem accessorium & fructuum* ac circa repetitionem *impensarum*, cum distinctione inter *bonae & malae fidei* possessionem merito praesupponimus ex principiis iuris

na-

(g) GROTIUS. L. II. Cap. VII. §. 2.

(h) CONF. COCCII. ad GROTIUM. L. II. C. X. §. 9.

naturae *late* talis, prouti ea penes COCCIVM (i).  
WOLFIVM (k) solidissime euoluta conspicies, & ad  
controuerfias gentium facile adcommo-  
dare poteris.

## §. XIV.

**V**i iuris, quod gens iure dominii habet ad *Ius utendi,*  
omne *emolumentum* fui territorii, libe- *fruendi &*  
rum est ipsi, de vfu fui territorii disponere *meliorandi*  
tum ad suam *necessitatem*, tum ad *utilitatem &*  
*iucunditatem*. Prius indigitatur iure *utendi*, &  
posteriorius iure *fruendi*, ex quo simul fluit ius  
*meliorandi* territorium.

## §. XV.

**E**t quoniam, *qui utitur iure suo, neminem laedit;* *De iure*  
hinc etiam vi iustitiae *stricte* talis intuitu *abutendi*  
gentium *extranearum* gens gaudet iure, *abutendi* *suo terri-*  
torio.  
suo territorio, quamvis facile consequatur,  
vt gens tali abufu impingat in officia *erga se*,  
& *erga alios imperfecta*, ac per consequens *mo-*  
*raliter* peccet.

## §. XVI.

**T**andem ex iure *alienandi*, quod est conse- *De modis*  
tarium dominii, conficimus modos ad *adquirendi*  
qui- *dominii*  
*intergen-*

H 4'

(i) *Loc. cit. §. 2. & seq.*(k) *Inft. iur. nat. & gent. P. II. C. III. §. 271. & seq.*

*tes deriva-*quirendi dominii inter gentes *deriuatiuos, qui-*  
*tiuis.* *bus dominia rerum iam constituta ab vna gente ad*  
*alteram transferuntur.*

## §. XVII.

*Requisita*  
*adquisitio-*  
*nis domi-*  
*niis.*

**A**d translationem dominii iure naturae re-  
 quiruntur sequentia ex parte tum *dantis*,  
 tum *accipientis*. Ex parte *dantis* legitima *facul-*  
*tas* & *voluntas alienandi*, & *declaratio* huius vo-  
 luntatis sufficiens: ex parte *accipientis* vero  
 legitima *facultas* & *voluntas* acquirendi, & vo-  
 luntatis huius *declaratio*. Quoniam itaque a-  
 ctus *gentium* reguntur iure *naturae*; hinc *ab iis-*  
*dem requisitis* adquisitio dominiorum *deriuatiua*  
 inter gentes dependet (1).

## §. XVIII.

*e. necessi-*  
*tate tra-*  
*ditionis*  
*ad trans-*  
*lationem*  
*dominii,*  
*& rationes*  
*negandi.*

**E**nimuero quaestio ambigua est de *traditione*,  
 an haec, *seuota ciuili lege, ex ratione natura-*  
*li, ac per consequens inter gentes, ad translationem*  
*dominii necessaria sit?* Sunt enim, qui cum  
 GROTIUS (m) negant ex argumentis sequen-  
 tibus,

(1) Huc referas ea, quae de potestate summi imperan-  
 tis circa *alienationem* regni in nostro Syst. I. P. V.  
 Part. III. C. III. §. 14. & seq. dicta sunt.

(m) L. II. C. VI. §. 1. n. 2.

tibus, quia 1) superflua est *traditio*, vbi constat *de voluntate tradendi*, quoniam qui vult *antedecens*, nempe obligationem *ad tradendum*; vult etiam *consequens*, nempe *actualem traditionem*, seu translationem dominii. 2) Iniquum foret, vt alienans suo iure quaesito excideret propter intermissum actum traditionis, qui non stat in potestate adquirentis, sed in potestate *promittentis*. 3) Ipsa lege *ciuili* in multis actibus, vti *in hypotheca, legato, fideicommissio* non requiritur traditio ad translationem dominii.

### §. XIX.

**S**unt e contra, qui cum HOTTOMANNO (n) <sup>Rationes affirmantis.</sup> affirmant. Prima ratio KVLPIII (o), quod *obligatio ad alienandum* discernenda fit ab ipsa *alienatione*: etiam si igitur *obligatio ad alienandum* constituatur *per promissionem*, ipsa tamen *alienatio* perfici debet per *traditionem*. Altera est SELDENI (p), quod dominia coeperint *a naturali possessione*, ac proinde iustum fit, vt in transferendis illis quid accedat, per

H 5

quod

(n) *Quaest. Illust.* II.

(o) *Collig. GROTI. exercit. V. §. 1.*

(p) *In not. ad GROTI. d. l.*

quod adprehendi queat possessio. Tertia est HERTII (q) & COCCII (r), quod vsus domini naturalis consistat in potentia *physica* rebus fruendi, easque nobis adplicandi: at vero hic vsus & potentia nequit exerceri sine re, eiusque *naturali possessione*; ergo praeuia traditio ad translationem domini quoad vsum non quidem *ciuilem* & *accessorium*, sed *naturalem* & *principalem* iure naturae necessaria est.

## §. XX.

*Distinctio Pufendorfi inter dominium simplex & qualificatum.*

**M**ediam viam ingreditur PUFENDORFIUS (s), qui distinguit inter dominium *simplex*, quatenus est qualitas quaedam *moralis* separata a possessione, & *qualificatum*, quatenus cum ea coniuncta est. Priori modo concedit, cessare posse *traditionem*: non autem posteriori.

## §. XXI.

*Distinctio quaedam inter ius*

**A**st curatius rem expedit distinctio inter *ius domini*, ac eius *exercitium*. Siquidem illud

(q) *Diff. de conuent. domin. transl.* §. 15.

(r) *In addit. ad GROTIUM, loc. cit.*

(s) *De iur. nat. & gent. L. IV. C. IX, §. 6. & 8.*

illud vi *solius pacti* iure naturae & gentium <sup>dominii</sup> <sup>cuius exercitium.</sup>   
 adquiri per argumenta (§. 20.) manifestum   
 fit: econtra ex rationibus (§. 21.) allegatis   
 nihil aliud euincitur, quam quod ad solum *exercitium*   
 dominii in statu naturali *traditione* opus   
 fit.

\* Confectaria huius conclusionis sequentia sunt. 1)   
 quod post pactum super translatione dominii inter   
 gentes completum res statim ad alteram gentem   
 spectet, & gens alienans nullum ius *in re* retineat,   
 adeo, vt quidquid de re ista disponit, irritum sit.   
 Ex quo sequitur 2) vt, si ab vna gente duabus res   
 vendita sit, illa praeferatur, cui res prius per pa-   
 ctum *promissa*, licet *medum tradita* sit, contra pla-   
 cita iuris ciuilibus in *L. 15. C. de R. V.* 3) Quod tra-   
 ditio *qua talis* contineat abdicationem non dominii,   
 sed *possessionis*, quae si negatur, coactione opus est   
*ad possessionem*, non ad dominium nanciscendum.

## §. XXII.

Quum declaratio voluntatis *alienandi & ad- Alienatio*   
*quirendi* inter gentes vel fiat *verbis*, vel <sup>dominii</sup>   
*ex factis* eliciatur (t); inde alienationem do- <sup>inter gen-</sup>   
 minii inter gentes esse vel *expressam*, vel <sup>tes vel ex-</sup>   
*tacitam*, suapte conficimus, prouti quoque ac- <sup>pressa, vel</sup>   
 ceptatio ex parte adquirentis est vel *antecedens*, <sup>tacita.</sup>   
 vel *consequens* (u). §. XXIII.

(t) *Syst. I. P. V. Part. III. C. III. §. 18.*

(u) *GROT. de I. B. & P. L. II. C. VI. §. 1. §. 2.*



## §. XXIII.

*De usucapione inter gentes liberas, & rationes affirmandi.*

**A**st quaestio valde ambigua & magni momenti est, *an alienatio tacita iure naturae inducatur ex lapsu temporis, seu an usucapio sit iuris naturalis, ac per consequens inter liberas gentes vim habeat?* Sunt enim, qui cum ALBERICO GENTILI (w) & GROTIUS (x) affirmant ex argumentis sequentibus. Nam 1) sicuti alienatio, seu translatio domini tacita colligitur *ex factis*; ita *sub factis* moraliter comprehenduntur *non facta*, vt est *silentium scientis & libere voluntis*. Enimuero istud necessario infertur *ex lapsu*

(w) *De iure belli.*

(x) *L. II. C. IV., quem sequitur PVFENDORF de I. N. & Gent. L. IV. Cap. XII. BOEKLERS ad GROTIUS loc. cit., WERLHOF. in vindic. dogmat. GROTIUS de praescriptione inter liberas gentes contra PETRUM PVTEANVM, IVST. HEN. BOEHMER I. P. V. Part. spec. L. III. Cap. IV. §. 31. not. 7., GYNDLING. iur. nat. & gent. Cap. XXI. §. 20. & seq., MASCOV. Prim. I. P. R. G. Lib. II. Cap. I. §. 6., & IOAN. FRID. HOHMANN de praescriptione. Lips. an. 1719., IO. KIPPINGIVS in comment. de usucapione iuris publ. Helmstad. 1738. CHRIST. ANDR. MENCKE diss. de naturali principio usucapionis & praescriptionis. Altonae, 1754.*

*lapsu diuturni temporis*, quo dominus a possessore rem suam non repetit; adeoque 2) *vsucapio* fundamentum naturale habet *in derelictione*, vt GROTIVS loquitur, *praesumpta, quoniam qui scit, rem suam ab alio possideri, nec multo tempore contradicit, quum nullum adsit impedimentum; is eam dereliquisse praesumendus est.* 3) Absque praescriptione controuersiae de regnis, regnorumque finibus inter liberas gentes forent *immortales*, consequenter socialitati gentium naturali maxime conuenit, vt vi *vsucapionis* dominia rerum & imperia *in certo* & extra litium ac bellorum aleam constituentur. 4) Probant exemplo IEPHTE (y) ad 300 annorum possessionem prouocantis, eamque Ammonitarum regi, veteres inter ARNONEM & LABOCVM prouincias vindicaturus, praeter ius victoriae obiicientis.

## §. XXIV.

Contra alii cum FERDIN. VASQVIO (z) & Rationes negandi  
 PETRO PVTEANO (a) negant, quia 1) *vsucapio-*  
 praescriptio-  
 nem.

(y) *Ind. XI. 26.*

(z) *Controu. Illustr. L. III. C. LI. num. 28.*

(a) *Scu PIERRE du PUY diff. si la praescription a lieu entre les princes souverains? inserta auctoris operi: Les droits*

praescriptio suam originem debet iuri *ctiuitatis*, vtpote fundata in *poena negligentiae & determinato tempore*, quae poena negligentiae, & determinatio temporis inter liberas gentes ob defectum *superioris* exulat. 2) Quia *tempus* nullam vim *effetricem* habet, *transferendi domini*, iuxta illud: *omnia fieri in tempore, nihil a tempore*. 3) Quia *praesumpta derelictio* vel est contraria iuri naturae, quo *nemo praesumitur, velle iactare suum*: vel causam dat *occupationi*, qua modo acquirendi domini *originario*, non autem *deriuatiuo vsucapionis*: vel non parit dominium, sed *praesumptionem domini*, quae *praesumptio cedit veritati*, simul ac verus dominus adparet, & rem suam *vindicat*. 4) Quia *silentium domini diuturnum* potest esse *ignorantis & non ultronee volentis*, quippe *ex mettu*

po-

---

*du Roi tres ebretem sur plusieurs Roynumes & Etats de l' Europe. Paris 1655. item Rouen 1670., quem sequuntur GEB. CHRIST. BASTINELLER diff. de eo, quod iustum & acquum videtur in praescriptione immunitatis ab oneribus publicis. Wittenb. 1740. IOAN. ERN. GUNNER diff. philos., in qua demonstratur, praescriptionem non esse iuris naturalis. Ienae, 1749. BREVNINGIVS diff. de praescriptione iur. nat. incognita, & alii, quos enumerat MEISTERVS bibliob. iuris nat. pars. III. §. 29. seq. sub voce praescriptio.*

*potentiae alienae* proueniens. 5) Quia, quemadmodum ad tranquillitatem & pacem gentium conseruandam sufficit sola *possessio* & *praesumptio* dominii ex diuturnitate temporis nata; ita socialitati gentium omnino consentaneum est, vt res *aliena* suo dominio *manifeste* probato restituatur.

## §. XXV.

Caeterum plurimi in id consentiunt, vt inter gentes validitatem tribuant praescriptioni *immemoriali*. Quum enim per naturam non possit probari, praesentem possessorem, qui *immemoriali* tempore rem tenet, dominum non esse; inde ex possessione *immemoriali* recte elicitur *certitudo moralis*, seu praesumptio dominii *absoluta*, quam *pro veritate* haberi lex gentium naturalis socialis iubet (b).

Admittitur praescriptio immemorialis.

## §. XXVI.

Porro vi iuris, disponendi de re sua, genti competit facultas, suam rem vel *in totum*, vel *pro parte* alteri alienandi. Quare naturaliter licitum est, vt vna gens in alteram trans-

De iure alienandi partem dominii.

---

(b) Conf. HEN. COCCREVS in *comment. ad GROT. L. II. C. IV. in princip.* WOLF. *iur. gent. Cap. III. §. 362.* & KEVFEL *exercit. GROT. III. ad Lib. II. Cap. IV. §. 66.*

transferat *condominium*, aut *dominium minus plenum, imperfectum*, referuato sibi *dominio directo* vel *utili*. Atque hinc speciatim notio *feudorum datorum*, vel *oblatorum* inter gentes, supposita obligatione *fidelitatis* feudis *essentiali*, concipitur (c).

### §. XXVII.

*De seruitutibus iuris gentium.*

Similiter iure *alienandi* gens potest ius ad quemlibet actum dominii licitum, seu *ius in re*, in alteram transferre, dominio retento. Inde oriuntur iura gentium in re gentium extranearum constituta, & hisce iuribus accensentur 1) *seruitutes iuris publici*, seu potius *iuris gentium* tum *negatiuae* tum *affirmatiuae*, prouti libertas gentis in suo territorio in utilitatem alterius restringitur, vt vel non faciat aliquid in suo, vel vt actum alterius gentis in suo territorio patiatur (d).

\* Quum

(c) Conf. TFEVER. *PAEDIA iuris feud. vniuers.* PAPPENHEIM *diss. de iure feudali in statu naturali*, & DARIES *iur. feud. vniuers.*

(d) Conf. IOAN. HEN. FELTZII *diss. de iuris publici seruitutibus, seu de iuribus in alieno territorio.* Argent. 1701. *recus.* 1736. CHRISTOPH. IOAN. CONR. ENGELBRECHT *de seruit. iur. publ. edit. 2. cum praefatione* CHRIST. GOTTL. BVDERI. Lips. an. 1739.

\* Quum seruitutes ortum habeant ex *dispositione* domini de re sua sub iure *dominii* comprehensa; planum est, constitutionem *seruitutis* non esse acquisitionem *originariam*, atque adeo iure gentium incognitas esse seruitutes *naturales* (e), nisi quis iura *innocentiae utilitatis*, siue *necessitatis* inter gentes harum nomine cum HERTIO (f) insignire vellet.

## §. XXVIII.

Vlterius huc pertinet 2) ius *pignoris* genti <sup>De iure pignoris,</sup> in re alterius gentis constitutum, veluti *si oppignoratio* territorii *integri*, aut *quoad partem*, sine, vel cum pacto *anticbretico*: aut singulorum quorundam iurium *maiestaticorum utilium*, vti *veltigialis* a gente, aut imperante intra limites sui imperii facta sit, quo casu ciues sicut ad tributa, ita ad *elutionem pignoris* suae ciuitati, aut regi obstrictos esse, cum GROTIUS (g) hic monere liceat.

## §. XXIX.

Et quoniam ius pignoratitium est ius *reale*, <sup>Contra tertium possessores; rem inter gentes.</sup> competens contra quoscunque possessores;

(e) COCCEI. ad GROTIUM. L. II. Cap. III. §. 2.

(f) In *dissert. de seruit. natur. constituta cum inter diuersos populos, tum inter eiusdem reipublicae ciues. Sect. I.*

(g) L. II. C. VI. §. 13.

res; sequitur, vt non obstante, quod territorium alteri genti oppignoratum in alium imperantem quocunque pacto publico transferatur, gens creditrix ius suum *pignoratitium* legitime constitutum *retineat*, donec debitum sibi *solutum* fuerit (h).

### §. XXX.

*De iure  
successionis  
ex testa-  
mento,*

Quod ad alienationem *mortis causa*, & acquisitionem iuris *haereditarii* inter gentes attinet; ea concipi potest I) *ex testamento*, si imperans vel propria auctoritate regnum *patrimoniale* (i), vel *cum consensu populi*, & *extincta familia regnatrice* regnum *non patrimoniale* alteri imperanti, aut genti reliquerit. Siquidem facultas *testandi dominio cognata*, eoque dato iuris gentium naturalis est (k).

### §. XXXI.

(h) Conf. GVNDLING *Exercit. academ. de iure oppignorati territorii secundum ius gentium & Teutonicum.* Vitemb. & Lips. an. 1741.

(i) *Syst. I. P. V. Part. I. Cap. IV. §. 13.*

(k) Conf. *post GROTIVM L. II. Cap. VI. §. 14. DARIUS differt. de acquisitione haereditatis eiusque effectibus secundum ius naturae.* Ienae 1746., & IOAN. GOD. SPEIRMANN *diff. qua testamenta iuris naturalis esse demonstrantur.* Helmst. 1747. *contra HENR. COCCEI. diff. de testamentis principum.* Francof. ad Oder. 1699. ,

## §. XXXI.

II) **E**x pacto successorio, si nimirum vi *pacti* Et ex pacto successorio inter gentes. *successorii* in casu, quo moritur vltima *persona* ex familia regia in regnis *successivis*, seu in *electivis* princeps regnans; ciuitas libera *imperium*, aut *dominium* suae regionis alteri principi, vel genti deferat. Atque in hac hypothefi ius haereditarium imperanti, aut genti in imperium, aut territorium alterius gentis competens ex *formula* huius pacti suam *mensuram* indubitato recipit (1).

## §. XXXII.

**T**andem modis acquirendi dominii deriuati- De modis acquirendi dominii inter gentes deriuatiuis ex lege naturae. *uis ex facto* gentis dominae subiungi possent modi acquirendi dominii deriuatiui *ex lege naturae*, qui sunt *expletio iuris*, *successio ab intestato*, & *occupatio bellica*: ast merito his superfedeo, quemadmodum *de expletione iuris* in §pho 10. huius Cap. & *de successione regnorum ab intestato* in syst. I. P. V. Part. I. C. V. iam praemissum fuit; ita *occupationem bellicam* ad iura belli in P. III. transmittere, connexitas materiae magis imperat. I 2 CA.

§ GEORG. CHRIST. GEBAYER *prog. de origine testament. minima ex iure naturali repetenda.* Götting. 1736.

(1) Conf. NETTELBLADT *iurispr. nat. civ. Lib. II, Sect. I, memb. III, Tit. III. § 449.*



## CAPVT III.

DE PACTIONIBVS GENTIVM  
PVBLICIS.

## §. I.

*Ius pacif-  
cendi inter  
gentes.*

EX facultate gentium morali *se perficiendi* promanat etiam ius, adhibendi *media*, quibus obligatio naturalis *imperfecta* ad officia *charitatis*, vtpote quorum adimpletio in statu naturae corrupto minus *secura* est, inter gentes euadat *perfecta*. Enimuero praecipuus modus, obligationem *imperfectam* transfundendi in obligationem *perfectam*, est *pa-ctum* (m); ius itaque *paciscendi* de iis, quae communi *felicitati* gentium inseruiunt, inter gentes *naturale* est ac *necessarium*. Et quum pacta ponantur *per factum obligatorium*; inde *ex pactis* quoque resultant officia gentium erga se inuicem *hypothetica*.

## §. II.

(m) *Sup. P. I. C. III. §. 4.*

## §. II.

**O**bligatio naturalis perfecta pactorum inter gentes euincitur ex idea pacti, quod est *promissio efficaciter acceptata*, & consequenter inuoluit translationem iurium promittentis in *τὸ suum* acceptantis. Quoniam itaque iure naturae *perfecta* est obligatio, *ut neminem turbemus in τὸ suo*; conspicitur inter gentes obligatio naturalis *perfecta* ad seruanda *pacta*, seu ad non laedendum *τὸ suum pactitium* (n).

*Obligatio naturalis perfecta pactorum inter gentes.*

## §. III.

**S**anctum & inuiolabile illud in iure gentium dicitur, quod ab omni violatione immune esse, communis gentium salus singulariter iubet. Enimuero communis gentium salus *fidei pactitiae* fulcro maxime nititur; itaque *fides pactorum* inter gentes omnino *sancta* est, ac *inviolabilis* (o).

*Fides pactorum inter gentes sancta & inuiolabilis.*

## §. IV.

**L**ex naturalis *de nemine laedendo* omnes homines absque respectu *ad identitatem religionis*

*Obligatio naturalis pactorum ob-cum gen-*

1 3

(n) Conf. COCCEL. *diff. prooem. XII. L. V. C. II §. 400. & seq. & DARIUS inst. iurispr. uniu. part. spec. Sect. II. §. 419.*

(o) Conf. TEXTOR. *synops. iur. gent. C. XXIV. in princ.*

*sibus infidelibus & heterodoxae religionis.* obligat. Quamobrem, quum *fides pactorum ex hac lege naturali* descendat (§. 2.); gens perfecte obligatur, pacta etiam cum gentibus *infidelibus & heterodoxae religionis* sancita seruare (p).

## §. V.

*Requisita pactorum inter gentes.*

**V**aliditas & iustitia pactationum inter gentes dependet a requisitis pacti essentialibus, quorum *primum* est *declaratio* voluntatis *reciprocae* pacifcentium, seu consensus *in idem* sufficiens: *secundum* *possibilitas* praestationis *physica* & *moralis*.

## §. VI.

*De nudis assertionibus, pollicitationibus & tractatibus gentium.*

**P**rimum requisitum pacti deficit 1) in *nuda assertione*, qua sufficienter declaratur animus, quem de praesenti habemus, ipsi aliquid praestandi, sed *salua libertate animi mutandi*. 2) In *pollicitatione*, id est, promissione *nondum acceptata*. 3) In *tractatibus*, seu *negotiationibus pactitis*, in quibus adhuc deliberatur, vtrum paciscendum, vel consentiendum sit. Quamobrem *nudae*, aut *honorificae assertiones*, *pollicita-*

tio-

(p) Conf. L. B. de ICKSTATT *elem. iur. gent. L. III. C. V. §. 7. cum coroll. & schol.*

*siones & tractatus* gentium vinculo obligationis *pactitiae* destituuntur, nisi altera gens *laesa* sit, quo casu eà, quam quaelibet *laesio* producit, obligatio *ad reparandum damnum* suapte emergit.

§. VII.

**N**eque tamen quoad efficaciam obligationis inter gentes attendi debet distinctio inter pacta *nuda*, aut *sine causa*, & non *nuda* contractus, quae *causam* seu *synallagma* habent. Siquidem haec differentia iure *naturae* incognita est, nec subtilitates *formulariae* aliaeque rationes *politicae*, ex quibus legislatores *Romani* pacta *simplicia* ab obligatione *ciuili* libera esse decreuerunt, ad promissionem liberarum gentium quadrant (q).

*Non datur in iure gentium distinctio inter pacta nuda, & non nuda.*

§. VIII.

**E**x diuerso consensui *deliberato* opponitur error. Igitur in quaestione, *an error obligationem pactorum inter gentes impediat?* GROTIUS (r) vnice distinguit inter errorem *substantialem*.

*De pactis erroneis inter gentes distinctio Grotii.*

I 4 lem,

(q) Conf. COCCIVS *diff. proem. VII. Cap. I. §. 9.*, ubi plures rationes GROTH *L. II. C. XI. §. 1. n. 3. & 4. & §. 2.*, quibus argumenta CONNANI hac in re opposita *solidissime conuellit, fusius enumerat.*

(r) *L. II. C. XI. §. 6.*

*lem*, qui se fundat in promissione quadam facti, quod non ita se habet: & inter errorem *accidentalem*, seu *incidentem*, in quo promissio non fundatur. Priori ex errore promissionem *inualidam*: posteriori modo *ratum* esse actum tuetur.

## §. IX.

*Statuitur regula imputandi errorem illi, qui erroris causa seu auctor est.* Sed quoniam haec distinctio GROTHII pro *de-terminationibus* conuentionum *erronearum specialibus* haud est sufficiens; hinc verior & magis expedita habetur regula, *validitatem pacti erronei determinandam esse ex iure imputandi errorem illi, qui erroris causa, seu auctor est.*

## §. X.

*Pactum ob errorem a promittente prouenientem validum est.* Hac regula praemissa distinguimus, an causa *erroris* in paciscendo sit *alterutra* gentium *paciscentium*, vel *tertius*: priori casu eius auctor est aut ipsa gens *errans* seu *promittens*; & pactum omnino *validum* est. Quia 1) error imputari & nocere debet *erranti*. 2) Quia gens promittens, quae agit contra voluntatis suae declarationem *sufficientem*\*, agit *contra ius* alterius paciscentis, & obligationem suam *correlatam*, ac proinde alteram laedit.

\* Nempe

\* Nempe ratio naturalis iubet, vt voluntas *verbis* declarata *pro vera* sit voluntate.

## §. XI.

**V**el causa *erroris* venit a gente *stipulante*, *Invalidum est ob errorem a stipulante* quae alteram *culpa*, aut *dolo* induxit ad promittendum; & praeter obligationem stipulantis ad *reparandum damnum* conuentio *invalida* *provenientem, si sit substantialis.* est, si error, aut dolus sit *substantialis*, seu *substantialis* unica & *finalis causa* promittendi.

## §. XII.

**S**in autem *error* fuerit causa tantum *impulsiva* *Non vero si sit accidentalis.* paciscendi, atque ita *accidentalis*; pactum iure gentium naturali *validum* est, etiam si gens promissaria obligetur ad laesionem *ex sua culpa*, aut *dolo* datam refarciendam.

## §. XIII.

**D**enique si *tertius* causa *erroris*, etiam *per dolum*, existat; error *huic* tantum imputari debet, neque conuentionem intuitu paciscentium *vitiosam* reddit, nisi gens quoque *acceptans* intellexerit erroris exceptionem *ta- tertius.* cite inesse (s). I 5 §. XIV.

(s) Conf. de MARTINI *posit. iur. nat. C. XV. §. 413. & seq.* & ACHENWALL *iur. nat. L. 1. Sect. II. Tit. 6. §. 179.*

## §. XIV.

*De quaestione facti inter gentes, quis errori causam dederit.*

**A**t vero illud tenendum, inter gentes faepius non constare, & quaestionem facti perobscuram ac *difficillimae* probationis esse, *an error in pacto publico fuerit substantialis, aut incidens, & quis errori causam dederit (t)?* Hinc in ista saltem ambiguitate locum concedimus regulae THOMASII (u), *errorem in dubio semper nocere debere erranti*, nisi circumstantia illa, in qua erratum, promisso per modum *conditionis* adiecta, aut *ex natura rei* subintellecta fuerit.

## §. XV.

*De pactis gentium metu iniustis.*

**G**rauior disceptatio est de *vi & metu, an hic de iure naturae & per consequens inter gentes valorem pacti eiusque obligationem impediatur?* Sunt enim plures (w), qui negant, pactum *metu iniusto* extortum de iure gentium naturali esse  
va-

---

(t) GVNDLING. *iur. nat. & gent. C. XII.*

(u) *In iurispr. diu. L. II. C. VII. §. 39. seq.*

(w) PVFENDORF. *I. N. & G. Lib. III. Cap. VI. §. 10. & seq.* WOLF. *Instit. iur. nat. & gent. Part. II. C. VII. §. 406.* & GVNDLING. *Lib. sing. de essentia metus tum in promissionibus liberarum gentium, tum etiam hominum priuatorum, auxiliisque contra metum.*

validum, ex hac potissimum ratiocinatione, quia ad essentiam pacti pertinet *promissio & acceptatio*, & per consequens in pacto praeter ius *promittendi* requiritur ius *acceptandi*. Enimvero genti, quae facto *iniusto* ad promittendum alteram compellit, obstat impedimentum *morale* quoad ius *acceptandi & acquirendi* ex tali promissione; igitur pactum metu iniusto extortum effectu suo, hoc est, translatione & acquisitione iuris destituitur, atque adeo *inualidum* est.

## §. XVI.

**A**st verior est sententia illorum (x), qui *Sunt va-* affirmant, pactum *vi metuque* etiam *iniu-* *lide.* *sto* extortum iure naturae & gentium *valere*, fidemque omnimodo seruandam esse, vtut metum inferens *interne*, seu *in conscientia* obligetur *ad reparationem iniuriae*. Etenim in tali pacto fecerni debent *duo* actus: 1) *promissio* eius, qui cogitur, & qui cum *electione minoris mali* decernit, se ius in cogentem transferre velle, quae actio sicuti *libera*, ita & *valida* est.

---

(x) GROTHI L. II. C. XI. §. 7., KVLPIII ad GROTH. ENC. circ. VI. §. 3., & COCCII ad GROTH. loc. cit.



est. 2) *Vis cogentis*, quae factum *iniustum* continet. Quare sicuti hic *separatae* sunt causae, prior est *ex pacto*, posterior *ex iniuria*; ita & *distinctae* sunt obligationes. Nam ex priori naturalis manat obligatio promittentis *ad praestandum promissum*: ex posteriori fuit obligatio *iniuste cogentis ad reparationem laesionis & damni dati*.

\* Dico: *interne*, seu *in conscientia*, quia mihi non placet ius naturae & gentium cum SAMVELE de COCCENIS (y) implicare illis tricis, vt ex vna parte metum passo imponatur obligatio naturalis *adimplendi promissum*, & ex altera parte statuatur ius *perfectum*, cogendi promissarium, qui metum intulit, *ad reparationem iniuriae*, vel ius, *plane differendi implementum promissionis*, donec de iniuria vel *cautum*, vel *satisfactum sit*. Contrarium enim eruitur *ex natura pacti*, vi cuius in statu naturali promittens se abdicat *iudicio de iustitia*, vel *iniustitia* metus sibi a stipulante incussi. Sed & stante hac hypothese *pacificationis publicae liberarum gentium post bellum* non satis firmas starent, siquidem aduersus *remissionem iniuriae*, seu *amnestiam*, quae hisce pacificationibus *speciatim* inesse arguitur, exceptio *metus*, saltem quoad *exigendam reparationem iniuriae*, liberius obmoueri posset.

---

§. XVII.

(y) *Loc. cit. & diff. prooem. XII. L. V. C. II. §. 418.*

## §. XVII.

**V**terius cum GROTIUS (2) quaeritur, *an beneficia iuris civilis, quibus obligatio, iure naturae valida, vel infirmatur, vel rescinditur, aut exceptione perpetua eliditur, in pactis quoque liberarum gentium & principum publicis locum habeant?* Non dantur beneficia rescissoria in pactis gentium. Id quod merito negamus. Quum enim haec beneficia origine sint instituti *civilis*; per se non conueniunt promissionibus liberarum gentium, & actibus *regis*, in quibus merum ius *naturae* obtinet.

\* Dico: *actibus regis*, quoniam quoad actus regis *privatos* princeps omnino vti eisdem beneficiis potest, quae ciuibus sibi subiectis indulget per regulam notoriam, quod princeps in *actibus privatis* utatur iure *privatorum* (2).

## §. XVIII.

**D**iuersa autem ratio obtinet, si conuentio- Bene tamen ius declarandi nullitatem pacti naturalis. ni gentium publicae, aut actui regio tale *vitium* inhaereat, ob quod illa pro valida iure naturae haberi nequit. Tunc enim vi libertatis naturalis genti, aut principi laeso competit

---

(2) L. II. C. XIV. §. 1. 2. & 6.

(2) *Syftem*; I. P. V. Part. I. C. III. §. 5.

tit ius *declarandi*, se ex conuentione aut actu vitioso obligari nolle (b). Et sane hic superuacaneum est, confugere ad *relaxationem* obligationis, quae natura *nulla* est:

## §. XIX.

*De exceptione minoris aetatis inter liberos gentes.*

**E**x hisce principiis simul intelligitur, quae-  
stionem, *an exceptio minoris aetatis liberas inter personas admittatur?* resoluendam esse sub distinctione. Vel enim conuentio publica celebrata est a *rege minorenni*, aut *tutore imperium legitime administrante*; & talis conuentio iure naturae *valida* est *ex consensu ciuitatis*; neque beneficio *restitutionis*, quod in statu gentium *naturali* prorsus exulat, infirmari potest (c).

## §. XX.

*Non datur in contractibus validis, bene tamen in invalidis.*

**V**el legibus regni fundamentalibus *certa aetas* definita est *pro administratione imperii*; & illa a paciscentibus necessario respicienda erit. Proinde, si rex, antequam illam aetatem attingit, contrahat; conuentio iure gentium

(b) PUFENDORF, *iur. nat. & gent.* L. VIII. C. X §. 2.

(c) CONF. HERTIVS *diff. de tut. reg.* Sect. II. §. 12.

tium *irrita* est, quoniam *lege publica administratio imperii regi adempta est, adeoque is disponere de iuribus publicis nequit* (d).

§. XXI.

**G**rauior hic occurrit quaestio, *an rescissio contractus onerosi, seu permutatorii ex capite laesionis enormis inter liberas gentes obtineat?* Sunt enim, quibus ob *variam rerum aestimationem & incertam pretii rationem, vtpote quod in statu naturali* \* vnice a *iudicio & dispositione contrahentium* dependeat, *naturaliter & inter gentes non videtur haec a conuentione recedendi causa* (e).

*De exceptione enormis laesionis in contractibus gentium. Rationes negantium.*

\* In statu quippe *civili* datur pretium *legitimum*, quod minime transgredi licet.

§. XXII.

**S**ed hisce ab aliis merito opponuntur sequentia: 1) quod ex natura contractuum

*Rationes contrarias.*

- 
- (d) Conf. COCCEIVS *ad GROT. loc. cit. pag. 272. seq.*  
 (e) THOMAS. *in diss. de acuitate cerebrina* L. II. C. de rescind. vendit. , quem sequuntur GVNDLING *iur. nat. & gent. Cap. XXV. §. 5. & seq.* ERNEST. HENR. KESTNER *de contract. summarum potestatum Cap. V. §. 1.* COCCEI. *ad GROT. L. II. Cap. XII. §. 8. & GRIBNER iurispr. nat. L. I. C. VII. §. 6.*

*onerosorum* obseruanda sit *aequalitas*, scilicet, vt quantum praestatur vnus, *tantumdem* vicissim ipsi praestandum sit ab altero (f). 2) Quod consensus contrahentium circa rerum pretia possit esse *erroneus*, quum 3) in *mensura* pretii determinanda *naturaliter*, ac per consequens inter gentes possit etiam haberi respectus ad *usum communem*, aut alias causas, vti ad rem, qua *frugiferam* (g). 4) Quod ob *incertam* pretii rationem in statu naturali solum euincatur, rescissionem hanc esse *difficilioris* inter gentes *probationis*, ac proinde non *temere* instituentiam:

## §. XXIII.

*Admittitur media.*

**H**isce itaque expensis, sequenti decisione vtimur: Aut gens in contractu *oneroso*, seu *permutatorio sciuit*, inaequalitatem adesse: aut *ignorauit*. Si prius; laesione non obstante, pactum *validum est*, quoniam *volenti non fit iniuria*. Si posterius; gens per inaequalitatem laesa voluit *aequalitatem* obseruari, nec ani-

---

(f) GROTIUS. L. II. C. XII. §. 8. & seq.

(g) BOEKLER. in *diff.* de mensura pretii *comment. ad GROTIUM adiecta.*

animum *donandi* habuisse praesumitur, consequenter habet ius *principale*, alteram, quae in expletione suae obligationis renitens est, cogendi ad laesionem emendam *restitutione liciti*, quod aequalitatem excedit, ac demum nanciscitur ius *subsidiarium*, vel reuocandi rem ex contractu alteri iam praestitam, vel nondum praestita re a pacto recedendi (h).

§. XXIV.

Ex altero requisito pacti essentiali (§. 4.) *Pacta inter gentes inualida.*  
 innotescit *inualidam* esse inter gentes 1) *inter gentes inualida.* promissionem facti, quod *physice impossibile* est, id est, cuius praestatio *vires naturales* promittentis transcendit, 2) facti lege naturali *illiciti*, utpote quod *moraliter* impossibile est, 3) pactum *ob turpem causam*, aut ex quo 4) ius gentis tertiae antea aduersum *laeditur*.

§. XXV.

Post notionem & requisita pactorum inter *Divisiones pactorum inter gentes remissive.*  
 gentes supersunt eorum diuisiones, quae *ficuti*

(h) Conf. post WOLF, *inst. iur. nat. & gent. Cap. XII. §. 580. & seq.* NETTELBLADT *iurisp. nat. stricte sic dicta L. I. Tit. I. §. 229.* SCHIERSCHMID *elem. iur. nat. soc. & gent. Part. I. C. III. §. 429. cum schol. & coroll.*

ficuti vel ex modo, aut causa paciscendi, vel ex diuersitate obiecti desumuntur; ita pacta gentium inter se expressa & tacita, affirmatiua & negatiua, pura & conditionata, unilateralia seu benefica, & bilateralia seu onerosa, obligatoria & liberatoria aut mixta, aduisiua & renunciatiua (i), perpetua & temporaria, personalia & realia esse intelligimus. Ast prolixiori harum specierum euolutioni hic immorari eo minus iuuat, quo curatius illa partim, ex disciplina iuris naturae generatim talis praesupponitur, partim in subsequenti capite sedem inueniet (k).



## CAPVT

(i) *Syst. I. P. V. Part. III. C. III. §. 9. sqq.*

(k) Conf. HENR. BODINVS *de contractibus summarum potestatum*. Hal. 1696. GEORG. AD. STRVVIVS *diss. de contractibus principum*. Ienae. 1745. WERLHOF *de pactis liberarum gentium*. Götting. 1709. HENR. ANDR. WALTHER *diss. de contract. summarum imperantium*. Gießae. 1728.

## CAPVT IV.

### DE FOEDERIBVS.

#### §. I.

**S**pecies excellentior pactorum inter gentes sunt conuentiones gentium publicae de praestationibus *non transitoriis*; quae speciatim nuncupamus *foedera*; & cum GROTIUS (1) definimus *pacta*, quae a summis potestatibus (seu a gentibus qua talibus) *boni publici causa in perpetuum, aut saltem ad longius tempus ineuntur.*

#### §. II.

**E**x hac definitione patet, essentiam foederum consistere in duobus: 1) vt fiant inter *summas potestates*, seu *gentes qua tales*: 2) vt fiant de iure aut *re publica*. Ex priori axiomate conficimus, foedera non esse conuentiones gentis, seu summae potestatis cum *privato* quodam celebratas. Ex posteriori per-

K 2

spi-

(1) *De I. B. & F. L.* II. C. XV. §. I.



spicuum fit, scur *foederum* nomen haud mereantur conuentiones gentium de rebus *priuat*is, seu ad *priuatam* eorum vtilitatem spectantibus.

## §. III.

*Ius foederum est maiestatis.*

**I**us faciendi foedera ex dictis est ius *maiestaticum*. Quoniam sitaque subiectum summae potestatis in monarchia est *rex*, in aristocratia *collegium optimatum*, in democratia *totus populus*, in statu vero ciuitatis *mixto* modus *mixturae* legibus *fundamentalibus* continetur (m); hinc ius pangendi foedera in statu ciuitatis monarchico penes *regem*, in aristocratico penes *collegium optimatum*, in democratico penes *totum populum* residere, & in statu ciuitatis *mixto* modum, faciendi foedera, a speciali norma legum *fundamentalium* dependere, in procliui est.

## §. IV.

*Competit regi pulso.*

**R**ex *regno pulsus*, non obstante, quod amiserit *possessionem* regni, retinet *ius imperii* (n). Quum itaque ius foederum sit ius *maiestatis*

(m) *Syst. I. P. V. Part. 1. C. III.*

(n) *Ibid. P. III, C. 1. S. 39.*

*iestaticum*; sequitur, valida esse & obligare ciuitatem foedera, quae cum rege *eiecto* panguntur (o),

## §. V.

**A**lia ratio se prodit in *usurpatore* imperii, *Usurpatore autem cum limitatio- ne.* penes quem est *administratio* sine iure regni (p). Quamobrem foedera cum *usurpatore* percussa valent quidem intuitu *usurpatoris* & gentis, quae cum illo contrahit: sed intuitu regis, aut *successoris* in imperio *legitimi* non obligant, nisi in vtilitatem ciuitatis aliquid inde peruenerit, aut rex *eiectus*, siue *successor* in imperio *legitimus* ea *ratibabuerit* (q),

## §. VI.

**I**us foederum absque dubio non competit *Negatur subditis.* *subditis*, qui nullum exercitium iuris *maiestatici* citra crimen *laesae maiestatis* sibi arroga-

K 3

re

(o) COCCEI. *diff. de iure regis eiecti, & de administratione usurpatoris regni ac utriusque effectu.* §. 5.

(p) *Syst. I. P. V. Part. III. C. 1. §. 34. sqq.*

(q) CONF. TEXTOR *synops. iur. gent. Cap. XXIII. num. II. & 12.* COCCEI. *loc. cit.* §. II. & SCHIERSCHMID *elem. iur. nat. soc. & gent. Part. III. C. II. §. 447, coroll. 8.*

re possunt. Et sane foedera fiunt de iure *publico*, de quo ciues subiecti disponere nequeunt.

\* Exceptionem BOEHMERI (r) quoad foedera *commerciorum* admittendam arbitror nonnisi cum *adprobatione* saltem *tacita summi imperantis*, quoniam & *commerciorum* referuntur ad media felicitatis publicae (P. I. C. I. §. 13. sqq.), quorum determinatio supremae potestati & officio imperantis iure publico vniuersali referuata est. Et multo magis illicita sunt foedera *clientelae* subditorum cum gente extranea, quum talia foedera absque praeiudicio saltem metuendo proprii imperantis concipi nequeant.

## §. VII.

Diuisio  
foederum  
in genera-  
lia & spe-  
cialia.

Foederum summa diuisio cum GROTIUS (s) desumitur ab *obiecto*, cuius intuitu foedera sunt vel *generalia* seu *simplicia*, quae constituunt, quod iam antea iuris erat naturalis: vel *specialia* seu *praestationis singularis*, quae iuri naturae aliquid adiiciunt, aut saltem officia naturalia, vbi *indefinita* videntur, ad *certi* quid determinant. Ad priorem classem referuntur foedera *amicitiae* de officiis *humanitatis* praestandis, aut *de non laedendo alios* fanci-

ta.

(r) I. H. V. Part. spec. L. II. Cap. I. §. 44.

(s) De I. B. & P. L. II. C. XV. §. 2. sq.

ta. Horum priora eam vim habent, vt obligatio iuris naturalis *imperfecta* fiat iuris *perfecti*. Posteriora nullum quidem pariunt ius *nouum*, vtilia tamen sunt inter eas gentes, a quibus non tam sanctimonia legis naturalis de non laedendo alios, quam *pudor perfidiae* pro motiuo pacis attenditur, atque ideo PUFENDORFIVS (t) eiusmodi foedera *pudendorum* nomine diffamat.

### §. VIII.

Foedera specialia sunt vel *aequalia*, vel *inaequalia*, prouti in illis *aequalis*, in his *inaequalis* confoederatorum existit conditio. Haec vero inaequalitas se tenet aut ex parte *digniori*, aut ex parte *minus digna*; ac vtrinque est vel ratione *praestationis*, vel ratione *honoris & dignitatis*, vel ratione *potestatis*, id quod exemplis illustrioribus foederum inter gentes corroboratur.

\* Sic foedus *inaequale* ex parte *digniori* ratione *praestationis* aut (concinnius loquendo) *beneficium* est, si gens potentior impotentiori promittat forte auxilium, impotentior vel *nihil*, vel *minus*. Ex parte *minus digna* foedus *inaequale* est ratione *praestationis*, si vni

K 4

gens

(t) *Iur. nat. & gent. L VIII. C. IX. §. 1. & 2.*

gens alteri *tributum* soluere teneatur, quo pertinent regna *tributaria*. Ratione *honoris & dignitatis*, si vna gens promittat se alterius maiestatem *comiter* (i. e. cum veneratione) conseruaturam, vel, quod idem est, adiuturam, vt ea salua sit. Ratione *potestatis* est, si per illud foedus altera gens sit *superior*, & vnus potestas alterius potestati & imperio subii- citur. Atque ex his simul intelligimus, quomodo foedera inaequalia ratione *praestationis & dignitatis* sint *sine imminutione* imperii: foedera autem inaequa- lia ratione potestatis sint cum *imminutione* imperii saltem ratione iurium in foedere determinatorum, quum talis ciuitas *inaequaliter* confoederata *summa* alioquin gaudeat potestate ratione suorum subdita- rum (u).

## §. IX.

*Foedus in-aequale de non gerendo bello absque consensu alterius gentis per- tinet ad bellum of- fensiuum.* Illud hic notandum, formulam in foedere *inaequali* positam, *ne alter foederatorum inius- su alterius bellum gerere possit*, non pertinere ad bellum *defensiuum*. Idque posthabita ratione GROTHII (w), quasi *odiosa sit materia, ubi de coarctanda libertate belli naturali agitur*, exinde euincitur, quia 1) illicitum foret pactum, si de prohibita *defensione necessaria* intelligen- dum esset, quum huic renunciare gens abs- que

(u) Conf. *Syst. I. P. V. Part. 1. C. IV. §. 28. seq.*(w) *L. II. C. XVI. §. 14.*

que crimine nequeat: sed & 2) absurdum foret, confoederatam gentem cogere, vt a quouis *impune* possit extirpari. Verba enim patetorum ita sunt interpretanda, ne *illicitum*, aut plane *absurdum* inde sequatur (x).

## §. X.

Porro foedera *inaequalia* ex parte *minus digna* Foedera inaequalia non possunt rescindi ob inaequalitatem. inuunt *renunciationem* iuris sui. Igitur sunt valida non attenda eorum *aequitate*, vel *iniquitate*, nec rescindi ob laesionem possunt, si in modo paciscendi aliquid vitij haereat (y).

## §. XI.

Foedera tam aequalia, quam inaequalia sunt Foedera sunt vel pacis, vel belli. vel *pacis*, vel *belli*. Foedera *pacis* dicuntur, quae continent societatem non *bellicam*, quae sunt foedera *commerciorum*, & quae concernunt alias res, aut iura *publica*. Foedera *belli* sunt, quae auxilia, vel societatem *bellicam* complectuntur.

\* Non ignoro foedera *pacis* & *belli* etiam in alio sensu vsurpari, quatenus priora in statu *pacifico*: posteriora

K 5

riora

(x) COCCEL, & HEINEC. ad GROT. *loc. cit.*

(y) Conf. WOLF, *iur. gent. C. IV. §. 407. & seq.*

riora in statu belli, & cum hoste ineuntur. Sed de his tractandi opportunior infra locus sese offeret.

## §. XII.

*Foedera belli sunt vel offensiuua, vel defensiuua, vel mixta.*

**F**oedera belli in casum communis vel aggressionis, vel defensionis contra hostem: vel in casum *utrumque* concipi solent; hinc ea in *offensiuua*, in *defensiuua*, ac in *mixta*, seu in *offensiuua* & *defensiuua* simul rite dispescimus.

## §. XIII.

*Foedus belli praesumitur defensiuum.*

**C**aeterum in quaestione, *an foedus belli inter gentes in dubio sit offensiuuum, vel defensiuuum?* pro foedere *defensiuo* pronuntiandum esse arbitror, non tam ex ratione GROTII (2), quod foedera belli *offensiuua* sint *odiosa*, & *defensiuua fauorabilia*: sed ex hac causa, quia foedera *defensiuua* magis conueniunt fini foederum *naturali*, nempe *securitati* confoederatorum communi, praeterquam, quod in casum belli futuri tutior pro parte *aggressa*, quam *aggreddente* concipiatur *iustitiae* praesumptio.

## §. XIV.

*Foedera belli vel determinata,*

**V**terius quemadmodum in foederibus *belli* vel *determinantur* principes aut gentes, ad-

---

(2) L. II. C. XVI. §. 16. n. 3.

aduërfus quas, existente casu foederis, arma <sup>vel inde-</sup>  
 mouenda, siue auxilia praestanda veniunt, <sup>terminata.</sup>  
 simulque definitur *modus specialis* praestandi  
 auxilia: vel in iis vnum, aut alterum, seu  
 vtrumque *contra quos, & quomodo* auxilium prae-  
 stari debeat, *indefinitum* relinquitur; inde foe-  
 dera belli alia *determinata*, alia *indeterminata*  
 esse conficimus.

\* Idem quoque dimetiendum venit ex *tenore* foederis,  
 an auxilia bellica *gratis*, aut *pro stipulata pecuniae sum-*  
*ma* praestari debeant. Deficiente autem tenore foe-  
 deris GROTIUS (a) quidem putat, auxilia promissa  
 deberi impendiis gentis *postulantis*, quia praestatio  
 gratuita *odiosa* est. Sed quoniam regula interpreta-  
 tionis de *odiosis & fauorabilibus* lubricum in iure natu-  
 rae fundamentum praebet, & speciatim in praesen-  
 ti casu idea *odiosi* respectu gentis *promittentis*, &  
*fauorabilis* intuitu gentis *stipulantis* & auxilio indi-  
 gentis aequae conspicua euadit; hinc illud ex *fine*  
 foederis, *conditione* gentis auxilium mittentis & po-  
 stulantis rectius aestimandum esse censeo.

### §. XV.

Quoad haec foedera belli (nam de foederi- <sup>Foedera</sup>  
 bus *amicitiae, pacis, securitatis & commer-* <sup>gentis</sup>  
*ciorum* nulla restat dubitatio) sollicite quae- <sup>christianae</sup>  
 runt <sup>nae cum</sup>  
 runt <sup>gente inf-</sup>

(a) L. II. C. XVI. §. 12.



*deli sunt  
per se lici-  
ta.*

runt DD., *an genti fideli liceat eiusmodi foedera contrahere cum gente infideli aduersus fidelem?* sed facilis est decisio. Siquidem manifestò patet, huiusmodi foederi nullam inesse prauitatem *intrinsecam* seu *uniuersalem*, neque illud improbari iure naturae, quia 1) ius naturae circa officia *amoris & socialitatis* omnibus hominibus ac gentibus ita *commune* est, vt *religionis discrimen* non recipiat. 2) Tale foedus genti fideli inferuit pro modo *tuendi* ius suum, qui est iuris naturalis. 3) Certum est christiano priuato licitum esse implorare officium iudicis, aut focii *infidelis* contra debitorem, aut latronem *christianum*; adeoque nec per se crimen erit genti christianae, vt personae *moralis*, pro tuendo iure suo implorare, vel sibi stipulari assistentiam gentis *profanae* contra gentem fidelem. Neque enim 4) peccatum gentis *confoederatae* est, sed eius, qui gentem ad eas *necessitates* adigit, vt *aliena*, & *impiorum* quidem, auxilia implorare cogatur; adeoque vitium est *cogentis*.

## §. XVI.

*Et per accidens illi-  
cita.*

**T**otum itaque vitium, quod in hisce foederibus adparet, est *extrinsecum*, siue *particulare*,

*culare*, quod vnice diiudicari debet ex *specialibus conditionibus & circumstantiis*, in quibus haec foedera in *contumeliam DEI & detrimentum verae religionis* vergunt. Hisce enim positis se prodit talis *collisio*, vi cuius ob *subordinationem* naturalem officiorum erga se & alios ad officia *erga DEVM negatiua absolute fundamentalia* a liceitate talis foederis clara exceptio institui debet.

• Hac ratione quoque conciliari debent leges diuinae positivae, quae foedera gentis fidelis cum infidelibus partim approbant, partim improbant, quod leges permissivae de foederibus religioni *innoxiiis*; prohibitiuae de foederibus *temerariis* ac religioni *noxiiis*, aut quae facta sunt cum septem populis a DEO specialiter *damnatis*, loquantur (b).

## §. XVII.

Quod vero quaestionem a GROTIUS (c) positam concernit, *an gens christiana teneatur assistere genti christianaee bellum cum infidelibus gerenti?* Illam ex principiis iuris gentium, & *licita sunt, non ob autem offensiva.*

(b) Conf. post SVARES de bello D. 13. §. 7. n. 25. MOLIN. de I. & I. Tom. I. tr. 2. disp. 112. n. ult. LAYMAN. L. 2. tr. 3. C. 12. n. 6. fn. WERENKO de iur. gent. P. II. C. 6. §. 1044.

(c) L. II. C. XV. §. 12.

ob causam communem verae religionis merito *affirmamus* de foedere belli *defensiuo*, quod ex causa *defensionis* confociatur aduersus infideles, qua *turbatores quietis publicae orbis christiani*: negamus autem de foedere belli *offensiuo*, ad laeessendum infideles qua tales, vtpote quae hostilitas *offensua*, ex capite religionis iure gentium illicita est (d).

§. XVIII.

*obligatio  
foederum  
bellicorum  
existente  
casu foederis.*

**O**bligatio bellici, vti & cuiuslibet foederis se exserit existente *casu foederis*, qui nihil aliud est, quam *concurfus circumstantiarum, seu conditionum; sub quibus societas belli inita est*. Enimuero foedus belli respicit conditionem belli vel *offensui*, vel *defensui*, vel *utriusque*, in quod altera gens confoederata incidit (§. 12.); existente itaque specie belli, in foedere comprehensi, obligatio foederis *bellici* perficitur, & adimplenda est.

- \* Hoc sensu omnia foedera praecipue societatis *bellicae* sunt *conditionata*, quatenus eorum obligatio ad existentem casum foederis *suspensa* est, quin tamen alterutra pars confoederata ante eius existen-

---

(d) COBF. KAVFFEL *ad* GROT. *loc. cit.*

stentiam a foedere resilire possit, sed potius quilibet confoederatus expectare debet existentiam, vel non existentiam illius conditionis, ob ius ex pacto quaesitum; pendente conditione, auferri nescium (e).

## §. XIX.

Interim cuilibet foederi insunt tres tacitae *Decasibus,* conditiones siue clausulae. *Prima est, si in quibus res in eodem statu permanserit: secunda, si praestatio promissi PHYSICE; vel MORALITER possibilis cessat obligatio foederis.* *tertia, ut foedus posterius intelligatur saluo iure prioris foederis.*

## §. XX.

Ex hisce fluit, ut gens foederata alteri non *Declaratur in specie.* teneatur ad auxilium, 1) si eum in statum, v. g. *subiectionis*, incidat, ubi foedus contrahere non potest. 2) Si praestatio auxilii genti confoederatae ob defectum virium, aut quia ipsa bello est implicata, sit *impossibilis*, vel sine *evidenti periculo* propriae salutis fieri nequeat. 3) Si altera gens confoederata bellum *notorie iniustum* gerat (f).

\* Ex

(e) Conf. SCHIERSCHMID *elem. iur. gent. C. II. §. 549. cor. 4.*(f) HERTIVS *de collis. leg. Sect. II. §. 12.*

\* Ex professo scripti: *notorie*. Nequaquam enim hoc eo trahendum, vt libertate cognoscendi & excipiendi contra iustitiam belli socio relicta in arbitrium eius collocetur, quousque ex foedere into obligari velit, & per consequens facilis suggeratur occasio, fidem foederis eludendi *iniustitiam praetextu* (g).

## §. XXI.

*De concursu foederum in casu belli gentium confoederatarum contra gentem tertiam.*

Pariter ex iisdem regulis definiri potest, quid iuris sit in collisione obligationum ob concursum foederum bellicorum gentis vnus cum pluribus, *utri gens foederata opem ferre teneatur, si duae gentes sibi confoederatae bellum gerant?* Vel enim bellum gerunt contra gentem tertiam: vel *inter se*. Priori casu *utrique* auxilia promissa mittenda erunt, si mitti possint, aut si praestatio auxilii intuitu vtriusque iuxta vires sit *impossibilis*; gens socia *antiquior* praeferranda erit, dummodo *non iniusta* belli causa nitatur (h).

## §. XXII.

*Vel inter se.*

Posteriori autem casu gens confoederata *solli antiquiori* tenetur, adeo vt nouiori socio *nec milite, nec pecunia* assistere possit. Ratio in

(g) GRIBNER *Princ. iurisp. nat.* L. III. C. V. §. 5. *not.* 3.

(h) *Per regulam III.* §. 19.

In promptu est, quia auxilia *cum effectu* non praestarentur antiquiori, si gens confoederata posterioris focii vires *milite*, siue *pecunia* augetet, ac proinde ius quaesitum antiquiori ex foedere violaret (i).

## §. XXIII.

Limitatur tamen 1), nisi gens foedere an- *De casu,*  
 tiquior causam belli *notorie iniustam* habe- *ubi gens*  
 at, quo casu ab vtraque parte abstinendum *foedere an-*  
 esse censeo, quamvis SAMVEL de COCCEII *tiquior*  
 (k) iura foederis antiquioris absque respectu *causam*  
 ad iustitiam belli, GROTIUS (l) vero causam *belli inia-*  
 foederati posterioris, qui iniuria petitur, ex- *stam ha-*  
 tra hypothefin conuentionis expressae, *bet.*  
*auxilium contra socium antiquiorem feratur*, hoc casu  
 tueantur.

## §. XXIV.

Limitatur 2) cum GROTIUS (m), nisi foedus *De foedere*  
 posterius sit *arctius* ratione *subiectionis.* *posteriori*  
 Si- *arctiore.*

(i) COCCEI, *in addit. ad GROT. L. II. C. XV. §. 13., &*  
*diff. prooem. XII. L. VII. C. IV. §. 78a.*

(k) *Loc. cit.*

(l) *Loc. cit.*

(m) *Loc. cit.*

Siquidem gens, quae supposita causa *iusta* defendit gentem tali *arctiori* foedere confoederatam; in effectu tuetur *partem sui imperii*, & consequenter ex naturali *praerogatiua* officiorum *erga se ipsam* iuste agit.

## §. XXV.

*Diuisio  
foederis in  
perpetuum  
& tempo-  
rarium.*

**R**atione *durationis* foedus aliud est *perpetuum*, aliud *temporarium*, prouti illud in *perpetuum*, hoc vero ad *certum tempus* sancitum est, &  *finito tempore* definit, nec *tacite* renouatum intelligi potest, nisi de *renouatione* in tabulis foederis cautum sit, aut ea colligitur ex actibus, qui nullam aliam interpretationem recipiunt, quam vt foedus renouatum sit (n).

## §. XXVI.

*In reale &  
personale.*

**P**orro ad durationem foederis pertinet *partitio* foederis in *reale* & *personale*. Illud est, quod ab imperante qua tali, adeoque *nomine & intuitu ciuitatis* percutitur: hoc vero ab imperante *indiuidualiter* spectato contrahitur, & in *solam personam* regis paciscentis conceptum est.

\* No-

---

(n) Conf. GROT. & ZIEGLER ad GROT. loc. cit. §. 14.

\* Notare velis, hanc distinctionem non ita spectare ad statum ciuitatis *aristocraticum* & *democraticum*, in quo subiectum maiestatis *immortale* est: sed peculiariter *monarchiae* propriam esse (o).

## §. XXVII.

Character foederis realis eruitur 1) ex *utrisque* foederis, si foedus in *perpetuum*, aut *cum rege & successoribus* contractum sit, 2) ex *sine* foederis, si foedus sit initum in utilitatem regni *manentem*, 3) ex *materia*, si foedus fiat de iure *publico & perpetuo*. Character foederis realis.

## §. XXVIII.

Caeterum in dubio & ex sua natura foedus *potius esse reale*, quam *personale* vel *inde* *conficimus*, quia ex *potestate & officio regio* *summa* defumitur ratio, quod rex foedus *celebret qua imperans* & in commodum suae ciuitatis (p). Praesumitur in dubio reale.

\* Itaque non opus est, vt in hac re. pro regula as-  
L 2 summa-

(o) HOCHSTETTER *colleg. PUFENDORF. Exerc. XII. § 43.* & DARIUS *Elem. iurisp. uniu. Part. spec. Sect. VIII. C. III. §. 983 schol. 2.*

(p) COCCEIUS *ad GROT. L. H. C. XVI. §. 16.* & DARIUS *loc. cit. §. 984.*



sumamus distinctionem GROTHI (q) inter foedera *fauorabilia & odiosa.*

## §. XXIX.

*Etiamsi nomina regum pacifcentium adiecta sint.*

Neque foedus *personale* exinde arguitur, quod *nomina regum pacifcentium* tabulis foederis adiecta sint. Etenim hoc non obstante rex considerari debet vt *caput* reipublicae, & nomina pacifcentium sunt adiecta eo tantummodo fine, vt demonstretur, a quibusnam foedus factum fuerit (r).

## §. XXX.

*Differentia inter foedus reale & personale.*

Effectus vtriusque foederis sunt valde dispares. Nam foedus *personale* expirat *sublata persona* regis pacifcentis, nec ad *successores* migrat. E contra foedus *reale* continet ius & obligationem *ad omnes regis successores transmissibilem.* Et quum pangatur *nomine ciuitatis,* quae *eadem manet mutata reipublicae forma* (s); hinc neque obligatio foederis *realis* extinguitur *mutata forma reipublicae,* aut *mutato modo im-*  
pe-

(q) *Eod. loc. §. 16. n. 3.*

(r) *GROT. loc. cit.*

(s) *Syst. I. P. V. Part. III. C. IV. §. vii.*

*perandi*, nisi causa foederis priori statui ciuitatis *peculiariter* fuerit adcommodata (t).

## §. XXXI.

**E**x eadem ratione concludimus, foedus cum rege initum, etiamsi rex sit *pulsus*, respectu *ciuitatis*, aut *inuasoris*, perseverare quoad ius & obligationem focii, assistendi contra hostes externos, nisi id defendendae *personae*, aut *familiae regiae* causa speciatim fuerit initum, siquidem tunc *personale* est (u).

*De obligatione foederis rege pulso contra gentem scythiam.*

## §. XXXII.

**M**agis ambigitur, an *foedus obtineat intuitu regis eiekti aduersus populum rebellem aut usurpatorem imperii*? Sed iterum res decidenda est ex *scopo* foederis. Vel enim foedus difertis verbis conceptum est ad defensionem *personae* regis, eiusue *familiae*; & non dubitandum, quin gens confoederata regi exuli ad recuperandam possessionem regni vi foederis auxilium aduersus *quemcunque* mittere obstringatur.

*Contra populum rebellem aut usurpatorem imperii.*

L 3

§. XXXIII.

(t) Conf. GROTI. *loc. cit.*., ex quo simul refutentur singularia argumenta BODINI *de republ. L. V. C. ult.* quae notioni foederum realium inepte obmouet.

(u) GROTI. *Lib. II. C. XVI. §. 17.*

## §. XXXIII.

*Distingui-  
tur inter  
causas  
foederis.*

**V**el foedus factum est ob causam *regni*; & nulla reperitur ratio, *necessitatis*, cur rex *expulsus vi foederis auxiliu[m] a gente confoederata postulare queat*. Tametsi enim *ius regni* penes regem *eiectum* maneat; auxiliu[m] tamen aduersus solos hostes *exteros* eidem promissum esse censetur, ac proinde obligatio foederis ad hunc casum foedere non comprehensum est *imper-tinens*.

## §. XXXIV.

*Gens ciui-  
tati foede-  
rat a potest  
assistere re-  
gi pulso  
contra  
usurpato-  
rem impe-  
rii, aut po-  
pulum re-  
bellum.*

**N**ihilominus, quoniam *inuasores* regnorum, aut populus, *rebellis* sub foedere, cum *rege & successoribus* legitimis sancito, aperte non comprehenduntur; sequitur tale foedus minime prohibere, quo minus gens confoederata *vero regi contra usurpatorem imperii, aut populum rebellem* pro tuenda aut recuperanda possessione regni opem praestare possit.

## §. XXXV.

*Modi fini-  
endi foede-  
ra inter  
gentes.*

**F**oedera inter gentes finiuntur 1) *renuntiatione mutua*, 2) *lapsu temporis in foedere praefixi* (§. 25.), 3) *sublata ciuitate*, cum qua foedus contractum est (§. 20.), 4) *sublata persona paciscente*, si foedus sit *personale* (§. 30.), 5) *ces-  
sante foederis conditione*,

## §. XXXVI.

## §. XXXVI.

**A**st vnica superest dubitatio, *si pars foedus violauerit, an altera quoque pars a foedere discedere possit?* sunt enim qui cum HENR. COCCIO (x) id negant, quia 1) si alter *contrarium* aliquid foederi agat, non tamen *animo rumpendi* foedus; *in aliis articulis* compelli debet ad implendum, non vero ex perfidia alterius alter *delinquendi* licentiam arripere potest. Sed & 2) foedera, quae de rebus *diuersis* iuncta sunt, quorum vna ab altera non dependet, spectanda putat WOLFIVS (y) tanquam foedera *diuersa*, eodem tempore iuncta, & consequenter negat propter violationem foederis quoad *vnam praestationem* alteri ius esse a *loto* foedere recedendi.

## §. XXXVII.

**E** contra plures id cum GROTIUS (z) & PUFENDORFIO (a) affirmant, quoniam *capitula foederis singula conditionis vim habent.* At-  
Respectu gentis innocentis, non vero perfidiae

L 4

(x) *Ad GROT. L. II. C. XV. §. 15.*(y) *Iur. gent. §. 432.*(z) *Loc. cit.*(a) *I. N. U. G. Lib. V. C. XI. §. 9.*

que haec ratio vera est, sub ea tamen limitatione, vt *liberatio* ab obligatione foederis intelligatur intuitu partis *innocentis*, vtpote in cuius *libertate* hisce circumstantiis est positum, vtrum obligationi suae pactitiae velit satisfacere, nec ne: non vero respectu gentis *foedisfragae*, quae alias lucrum suae perfidiae perperam caperet (b).

\* Hisce conuellit ratio HENR. COCCEII, qui suam sententiam priori §pho relatam ita limitat, *si alter animo rumpendi totum foedus ab eo discedit, tunc ego recedere possim, & foedus tunc soluitur* MUTVO CONSENSV. Quomodo enim hic mutuus consensus elici potest, quin pars innoxia ius suum ad implementum obligationis pactitiae parti perfidiae remiserit?



## CAPVT

---

(b) DARIÈS *Inst. iurisp. vniu. Part. spec. Sect. II. C. II. §. 442. coroll. 4.* & HEINEC. *ad GROTI. loc. cit.*

# CAPVT V.

## DE PACTIS GENTIVM ACCES- SORIIS, SEV DE MODIS FIRMANDI PACTA ET FOEDERA GENTIVM.

### §. I.

**P**raeter conuentiones gentium principales Conuentio-  
nes genti-  
um acces-  
soriae seu  
cautiones. dantur etiam conuentiones *accessoriae* & *cautiones*, quarum natura & scopus est, vt firmetur illis alterius pacti aut foederis principalis inter gentes *efficacitas* & *securitas*.

### §. II.

**E**nimvero ex iurisprudencia naturali patet, Cautio  
quotuplex. cautiones esse vel *verbales*, vel *reales*: & *verbales* esse vel *iuratorias*, vel *nude promissorias*, vel *fideiussorias*; & porro cautionem *realem* esse aut *pignoratitiam*, aut *corporalem* (c). Quare gentes pro securitate sui iuris pactitii vnā vel alteram harum cautionum eligere possunt.

L 5

§. III.

(c) *DARIES Iurisp. uniu. Part. spec. Sect. II. C. II. §. 486. coroll.*

## §. III.

*Cautio iuratoria.*

**P**rima igitur & inter gentes perſaepe uſitata cautio eſt verbalis *iuratoria*, quae fit *cum conteſtatione*, qua gentes ad *vindictam diuinam ſub conditione falſiloquii moraliſ, aut perfidiae prouocant*. De huius natura & virtute regulae ſequentes ex iure naturae ad iuramenta gentium promiſſoria adplicandae ſunt. I) quod formula iuramenti *religioni* cuiusuis gentis fit attemperanda, II) quod cum ſinceritate & ſanc-titate iuramenti pugnent omnes *cauillationes*, ac quas vocant, *reſeruationes mentales*. III) quod iuramentum vi ſpecialis motiui producat *nouam*, eamque *principalem* obligationem *ſubiectiuam*, quae dicitur vinculum *religionis* \*, ita tamen, vt IV) iuramento haud conualidetur obligatio pacti *in ſe irrita*, aut *uicioſa*. Ac praeterea, vt V) ceſſet eius obligatio *ceſſante conditione*, ſub qua dictum eſt (d).

\* Ex eo tamen non poſſumus concludere ad poteſtatem ſummi pontificis, iuramenta ſummorum imperantium, gentiumque relaxandi. Siquidem ſiue talia pacta iurata concipiuntur inter gentem *chriſtianam* & infidelem, ſiue vtrinque inter gentes *chriſtianas*;

---

(d) MARTINI *Poſt iur nat. Cap. XX. in primo.*

*stianus*; haec relaxatio inuoluit dispositionem de iuribus *publicis* & *profanis* liberarum gentium, atque adeo *summitati* ac *independentiae* gentium & *genuinis* limitibus potestatis papalis refragatur, praeterquam quod cum pace gentium, **quin & bono religionis** coadunari nequeat (e).

## §. IV.

**C**autio *nude promissoriae* inter gentes aequi- Cautio nu-  
de promissoria sub  
fide regia pollet *asseueratio* vnus gentis alteri facta Se. praesertim *sub fide regia*, *sub fide principali*, *per fide regia* **maiestatem regni**. Nam vi huius asseuerationis in gente asseuerante excitatur peculiaris conatus & obligatio saltem ex motiuo seruandae famae suae integritatem, & euitandi, ne gens ob perfidiam ab altera pro *infami*, aut *nullam fidem merente* palam traducatur.

## §. V.

**C**autio fideiussoria inter gentes interponitur eo modo, vt gens tertia *promittat*, a Cautio fideiussoria *e praestitum iri id*, quod gens altera ex pacto debet, nisi id ipsa praestiterit. Quo casu populus fideiubens in casu negati implementi, aut non

---

(e) L. B. de ICKSTATT *Elem. iur. gent. Lib. III. C. IV. §. 14. schol. 2.*



secutae praestationis pacitiae, obligatur genti stipulanti vt debitor *minus principalis*, siue *subsidiarius*, atque ideo ipso iure naturae ad sic dictum ius *ordinis* siue *excussionis* rite prouocat.

## §. VI.

Quomodo  
gens si sit  
expromittens  
aut  
correa debendi?

Quin & nihil implicat, quo minus gens tertia obligationem alterius vt *debitrix principalis*, vel saltem simul cum alia gente *in solidum* suscipiat, ac perinde in priori casu vt *expromittens*, in posteriori vt *correa debendi* teneatur.

## §. VII.

De guarantee,

Sed peculiaris, & quae a fideiussione gentium specificè distinguenda, cautio inter gentes ponitur per *guarantiam*, cuius nomine indigitatur *conuentio publica*, qua gens genti *promittit auxilium in securitatem a laesione forte ab alia gente metuenda*, ideoque *auxilium contra eum, qui pactum violat* (f). De hac, quatenus in pactio-  
ne *pacis* speciatiim robur habet, P. III. S. II. C. III. cumulatius agendi locus erit.

## §. VIII.

---

(f) ACHENWALL I. N. Lib. IV. Sect. III. tit. II. §. 243.

## §. VIII.

Neque incognita est inter gentes cautio <sup>Cautio</sup> pignoratitia, prouti eius obligationem <sup>pignoratitia.</sup> ex iure constituentis, & limitibus conuentionis iure naturali dimetiri oportet (g).

## §. IX.

Tandem cautionis *realis corporalis* vicem inter gentes sustinet *obstagium*, seu *pactum*, quo ciues subiecti vnus gentis in alteram pignoris loco transferuntur, & personae, quae traduntur in securitatem fidei seruandae, *obsides* nuncupantur. <sup>Cautio per obsides.</sup>

## §. X.

Ius itaque gentis in *obsides* determinari debet <sup>Ius gentis in obsidem.</sup> ex *sine* obstagii, qui est *securitas fidei*. Iam vero ad hanc securitatem naturaliter spectat *detentio* & *confectaria custodia* obsidis vsque ad fidem solutam; igitur genti competit ius, *obsidem* tamdiu *detinendi* ac *custodiendi*, quamdiu *promissioni*, propter quam *datus* est, non est *satisfactum*.

## §. XI.

(g) Conf. *sup. P. II, G. II, §. 18.*

## §. XI.

*Cum corre-  
lata obli-  
gatione ob-  
sidis non  
fugiendi.*

**Q**uumque *ius sine correllata obligatione sit in-  
conceptibile ac elusorium*; huic iuri perfecto  
gentis, obsidem recipientis, necessario cor-  
respondet obligatio obsidis perfecta *non fugi-  
endi*, siue is *sua sponte* se dederit, siue ab im-  
perante *inuitus* datus fuerit. Et sane neutro  
casu obses auffugiens *recipi a sua ciuitate* potest,  
quia haec contra proprium factum ageret.

## §. XII.

*Obses fit  
seruus de-  
mum in  
casu vio-  
lat ac fidei.*

**V**erum eidem fini obstagii conformē est, vt  
obses nequeat cogi ad operas, nec fiat  
*seruus*, quamdiu ciuitas fidem datam colit: at  
vbi eam violat; *hostis* esse incipit, & obsides,  
qui iudicium ciuitatis aut principis sequi te-  
nentur, itidem pro *hostibus reputantur*, adeo-  
que omnia in eos, quae in *captos & seruos*, li-  
cent.

## §. XIII.

2

*In regula  
occidi non  
potest.*

**Q**uandoquidem vero obses oppignorauit  
suam quidem *libertatem*, non *vitam*; &  
domino in hostem captum & seruum haud  
competit ius *vitae & necis*, nisi in casu *collisionis*  
vbi

vbi alius securitati domini prospiciendi modus non patet (h); facile intelligimus, obsidem ob violatam quoque a sua ciuitate fidem *interfici* non posse, nisi eius occisio *unicum* esset remedium, *coercendi perfidiam*, & *extorquendi securitatem* fidei seruandae a gente, quae obsidem dedit.

## §. XIV.

**A**ltera exceptio est, si ipse obses *scelus sup. Exceptio.* *aplicio dignum* commiserit. Tunc enim *vi fundatae in territorio iurisdictionis* puniri potest. Enimuero id non eo trahendum, vt obses teneatur ex *alterius obsidis delicto* aut *fuga*, vt-pote quod est *meritum personale*, & suum tantummodo auctorem ad poenam obstringit.

## §. XV.

**C**aeterum quoniam *cuilibet integrum est, re-* *Modi fini-*  
*nunciare iuri suo, & cessante obligatione prin-* *endi obsta-*  
*cipali cessat obligatio accessoria*; hinc obstagium *gium.*  
 finitur 1) *renuntiatione* eius, qui obsidem accepit, 2) *sublata obligatione principali*, vt si *mortuus* est is, pro quo obses est datus, vel 3)  
 fini-

---

(h) Conf. *infra P. III, S. I. C. IV. §. 12, sq.*

*finito negotio*, aut *praestito debito*, ob quod obfes datus. Tunc enim hic statim dimittendus.

## §. XVI.

*An obfes in unam causam datus retineri possit in aliam.*

**I**dque adeo verum, vt obfes in *unam* causam datus in *aliam* retineri nequeat *ex pacto*, quia deficit consensus. Vt ut non negandum, eum e *iure*, quo subiecti *ex facto imperantium* obligantur, aliquando detineri (i).

\* Lex vn. C. *etiam ob cbiogr.*, in qua statuimur, *pignus ex una causa datum ob aliud debitum retineri posse*, est meri iuris *ciuilis*, ac proin huc non applicanda.

## §. XVII.

*De impensis in alimenta obsidum, & debitis ab eis.*

**Q**uum autem neque ciuitas, neque obfes *locupletior* fieri debeat *cum damno gentis recipientis*; luculenter patet, ciuitatem, quae obfides dedit, obligari ad restituendas *impensas* in alimenta eorum factas, & obsidem debita, quae contraxit, soluere teneri, antequam dimittatur: imo eapropter retineri posse vt *debitorem*, quoniam ista obligatio non  
tam

---

(i) GVDNLING *Iur. nat. C. XXIV. §. 39. qua ratione etiam sententia GROTHII L. III. C. XX. §. 55. & WOLFII iur. gent. C. IV. §. 503. sibi inuicem contraria combinari debet.*

tam ex noua causa, quam ex *conditione* obsidii oriri censetur.

§. XVIII.

**E**x diuerso quum obsides dentur & accipi-  
antur ex causa ciuitatis *publica*; sequitur  
obsidium non extingui *mortuo rege*, qui obsi-  
dem dedit, aut accepit, nisi foedus sit *perso-*  
*nale.*

*An obstadium finitur mortuo rege, qui obsidem dedit aut accepit.*

§. XIX.

**O**b eandem rationem colligitur, eum, qui  
dedit obsidem, liberari morte obsidis, si  
*personae* obses est: secus, si ratione *reipublicae*,  
vtpote ex cuius causa in obligationem alii  
*conciues* naturaliter succedunt (k).

*An morte obsidis?*

\* De iure gentis, dandi ciues *volentes* aut etiam *inuitis*  
pro obsidibus, ex industria nihil hic scribimus, quum  
haec ad ius publicum vniuersale pertineant, & praeli-  
bata sint in Syst. nostro I.P.V.P. III. C. II §.5. seq.

\* \* \*

PARS

(k) Generaliter conf. praeter GROT. L. III. C. XX. §. 52.  
& seq. COCCIVS *comm. ad GROT. loc. cit.* WOLF. I.  
G. Cap. IV. §. 467. IOAN. SCHILTERVS *diss. de iur. &*  
*statu obsidum.* Rudolst. 1664. & Ienae an. 1673. IO-  
AN. VLR. PREGIZERVS *de obside belli & pacis.* Tub.  
1690. & FRID. LVD. WALDNER *de FREVDENSTEIN*  
*diss. de firmitate conventionum publicarum.* Giessae  
1753.



# P A R S III.

## I V S B E L L I G E N T I V M.

### SECTIONO I.

### CAPVT I.

### DE IVRE BELLII.

#### §. I.

*Iura gentium ex laesione nata.*

**P**osita laesione inter gentes, naturaliter ponuntur quatuor iura: 1) ius *securitatis in praesens*, seu non patiendi laesionem, 2) ius *defensionis*, seu ius resistendi laesioni intentatae, 3) ius *indemnitate*, id est, ius praestationem damni a laedente exigendi, 4) ius *securitatis in futurum*, seu *praecautiois*, quod consistit in iure laesi vacuitatem a metu laesionis sibi procurandi (1). Et quoniam *ius ad*

---

(1) Conf. *sup. P. I. C. I. §. 22.*

*ad finem dat ius ad media sufficientia*; hinc pari modo gentilaesae in gentem laedentem competit ius *violentiae*, quatenus violentia est remedium ad *defensionem*, aut *indemnitatem* & *securitatem* gentis in *praesens* & *futurum necessarium*.

\* Notetur itaque de modis componendi controuersias gentium de amicabili compositione, de colloquio, transactione, laudo, de bello repraesentatiuo, sorte, & repressaliis, prouti haec curate euoluit post GROTIUM L. II. C. XXIII. DARIËS obseru. iur. nat. soc. & gent. LVIII. & speciatim de repressaliis agit LVD. MARTI KAHLIVS thes. iur. nat. & gent. de repressaliis. Götting. an. 1740.

## §. II.

Quae quum ita sint; ius *belli* inter gentes *Ius belli.* naturale primario deriuatur ex *necessitate medi ad finem*, quatenus inter eos, qui nullum in terris superiorem ac iudicem recognoscunt, alia ratio *tuendi* & *exigendi* iuris sui inuito altero esse nequit. Et quum DEVS, vt author iuris naturae & diuini positiui, non velit contraria, ac praeterea per legem euangelii de *patientia* prohibeatur quidem *ultio*, non vero sublatum sit ius *defensionis necessariae* vna cum mediis *coercendae malitiae* & *pertinaciae humanae*;



*manae*; hinc iustitiam belli inter gentes *legi veteris & noui testamenti*, ac *consensui primitiuae ecclesiae* haud repugnare in procliui est (m).

## §. III.

*Definitio belli.*

**N**otionem belli cum GROTIUS (n) rite constituimus in *statu per vim certantium*, quales sunt, seu in *statu*, in quo unus ius suum viuetur aduersus alterum.

## §. IV.

*Diuisiones belli.*

**I**n iure belli tres potissimum quaestiones considerandae veniunt: 1) *de personis* bellum gerentibus, 2) *de causis*, siue *scopo* belli, 3) *de forma & modo* gerendi belli. Inde principales distinctiones belli vel a *causa efficiente*, vel a *causis* seu *scopo*, vel a *forma & modo* gerendi belli dependent.

## §. V.

*In publicum & priuatum.*

**Q**uoad *causam efficientem* summa belli partitio est in *publicum*, quod geritur *inter gentes*,

---

(m) Conf. GROTIUS. *L. I. C. II. per tot.*, ubi dubia, quae ab ANABAPTISTIS & PHOTINIANIS, ab ERASMO ROTTERDAMO in *lib. de christiano milite*, & IOANNE FERRO *lib. de pace tenenda*, contra iustitiam belli moueri solent, copiose refellit.

(n) *L. I. C. I. §. 2.*

*gantes*, seu authoribus iis, qui *summum imperium* in ciuitate habent: & in *priuatum*, quod geritur inter *priuatos* authoritate *propria*.

\* Ius belli *priuati*, quod cum iure *necessariae defensionis* idem est, in statu ciuitatis coarctatum esse ad casum *essantis iudicii*, alibi (o) iam demonstrauiamus.

### §. VI.

**V**terius a GROTIUS (p) adiicitur bellum *mixtum*; quod vna ex parte est *publicum*; ex altera *priuatum*. Sed haec species superflua est. Quandoquidem in singulis exemplis belli *mixti* a GROTIUS recensitis subesse ideam belli vel *publici* vel *priuati*, aut plane *ius iudiciorum* obtinere, partim ab aliis (q) ostensum, partim in decursu adparebit.

### §. VII.

**I**us gerendi bellum publicum tum vi *libertatis naturalis*, tum ex iure tuendi ciuitatem ad summam potestatem spectat. Hac de causa ius belli *publici* inter iura *libertatis naturalis*, siue iura *transiens*.

M 3

(o) *Syst. I. P. V. Part. II, C. II. §. 8. 99.*

(p) *L. I. C. III. §. 1. n. 1.*

(q) Vid. de COCCII. *diff. proem. IX. §. 166.*

ra *maiestatica transeuntia* summi in ciuitate imperantis eminet.

\* Videtur equidem refragari GROTIUS (r), dum ait: *prima autem maximeque necessaria cura est pro subditis, siue qui FAMILIARI, siue qui CIVILI su sunt imperio, ac proinde ius belli tribuit quoque PATRIFAMILIAS pro tutela familiae. Ast oppido fallitur. Vel enim sermo est de statu ciuitatis; & ab imperio familiarum omne ius belli per se abest: vel sermo est de statu naturali; & bellum, quod paterfamilias sumere debet pro tuendis domesticis, valet vi maiestatis, quae penes primos patriarchas, vt principes suarum familiarum, vere residebat (s).*

### §. VIII.

*Negatur  
magistratus  
inferioribus.*

EX diuerso sequitur, vt ius belli gerendi non habeant magistratus *inferiores*, nisi ex *consensu* summae potestatis vel *expresso*, vel *tacito*: hic tamen consensus tacitus sufficit solum in bello *defensiuo*, per quod vim instantem *absque mora consulendi eum, qui supremum in ciuitate το κρησιν tenet*, repellere necesse est (t).

\* Bellum a magistratu subalterno, ex *consensu* summi imperantis *expresso*, vel *tacito* susceptum, esse *publicum* dubi-

(r) L. II. C. XXV. §. 1. n. 2.

(s) Syst. I P. V. Part. I. C. I. §. 9.

(t) Conf. GROT. L. I. C. III. §. 4. & seq.

dubitare non finit regula: quod quis per alium expedit, ipse fecisse censetur.

## §. IX.

**A**ft vero quaeritur, an magistratus, qui abs-  
que iuffu summi imperantis expreffo vel tacito  
in bellum prorupit, a propria ciuitate non solum  
puniri, sed & alteri genti dedi debeat? Ad quod  
sub diftinctione refpondeo. Vel enim magi-  
ftratus per tale bellum alteri genti intulit in-  
iuriam; & in hoc cafu debet ad reparationem  
iniuriae factae sub certis determinationibus alteri  
genti extradari (u): vel nullam intulit iniuriam,  
& tunc quidem propria ciuitas pollet iure pu-  
niendi talem magistratum, non vero habet  
obligationem dedendi, quia in hoc cafu iniu-  
ria quidem facta est populo, aut imperanti, cu-  
ius iniuffu bellum geflum fuit: fed altera gens  
nequit postulare reparationem iniuriae, quae  
ipfi facta non est (w).

*De dedi-  
tione ma-  
gistratus  
inferioris  
absque con-  
fensu sum-  
mi impe-  
rantis bel-  
lum susci-  
pientis,*

## §. X.

**S**imiliter quoniam aduerfus illos, qui ob de-  
fectum summi imperii iure belli deftituuntur,  
M 4 tur,

*Ius belli  
non compe-  
tit contra*

(u) Sap. P. I. C. II. §. 33.

(w) GROT. c. l.

*subditos alienos* tur, ius belli exulat; hinc inferri non potest bellum inferioribus magistratibus, nec subditis alienis: sed si iniuriam facere, reparatio ab eorum summo imperante postulari debet, atque, hac reparatione denegata, iniuria demum est imperantis, quae bello vindicari potest.

## §. XI.

*Nec subditis.* Multo minus bellum gerere possunt privata auctoritate singuli subditi, sed potius, si ab externa gente aut summo principe laesi sint, sui imperantis officium implorare debent, ut ille ius suum conuenienter obligationi naturali sueatur. Qui si gentem, aut principem laedentem requisierit, ut satisficiat, nec impetrauerit; causa haec inter duas gentes aut principes liberas vertitur, & belli iure decidenda venit.

## §. XII.

*Neque contra subditos rebelles exercetur.* Ex eadem ratione ius belli non adhibetur in subditos proprios. Hos enim, si rebelles sint, imperans non iure belli, sed iure imperii ad obsequium reuocat, iisque poenam irrogat. Et si coniuncti sint veri hostes rebellibus subditis,

ditis, cum istis bellum verum iure gentium tale non est, sed cum hostibus coniunctis (x).

\* Ex inde refutatur GROTIUS, qui in hisce exemplis ideam belli mixti effingit.

### §. XIII.

Caeterum quemadmodum summa potestas *Transitio ad iura potestatis bellicae.* necessario complectitur illa iura, sine quibus eius exercitium & finis obtineri nequit; ita ex iure belli intuitu civitatis spectato dimanant iura consuetudinaria, quorum complexu potestas bellica absolvitur.

\* Si cui mirum videretur, me ad sphaeram iuris publici universalis hic quodammodo desistere, huic ratio instituti academici in coniungendis praelectionibus iurisprudentiae publicae universalis & gentium griffin facile eximet.

### §. XIV.

Ad potestatem itaque bellicam refertur *Ius ar-* I. ius armorum instruendorum, armandiae, *mandiae.* seu armandiae, vi cuius summo imperanti  
M 5 com-

(x) Conf. HENNIGES in obser. ad GROTIUM. L. I. C. III. §. 4. TEXTOR, synopsis iur. gent. C. XVI. n. 16. & GEORG. HENR. AYRER. in PROGRAM. de multitudinis feditione iuris belli experte Gött. 1747.

competit ius, *armamentaria* adornandi; ex quo simul confequitur, vt huius iuris vsus penes ciues subiectos ex causa siue *offensionis*, siue *defensionis* citra singularem *concessionem* summi imperantis implicet.

## §. XV.

*Ius legendi  
& conscri-  
bendi mili-  
tes.*

Potestas bellica comprehendit II. ius *maiestaticum* legendi & conscribendi milites, qui sunt *personae*, per quos auctor belli alteri *belligeranti vim infert*, & sunt vel *terrestres*, vel *nauales* (*Schiffs = Soldaten, Matrosen*) vel *lecti*, qui sunt ciues vi *subiectionis ciuili* militantes, vel *stipendiarii* aut *conductitii*, qui mercede conducti militant.

## §. XVI.

*Exercen-  
dum a sum-  
mo impe-  
rante pro  
salute ciui-  
tatis.*

EX notione huius iuris maiestatici sequen- tes fluunt conclusiones: 1) vt hoc ius conscribendi milites pro norma respiciat *salutem reipublicae*, atque ideo vi maiestatis exerceri possit, prouti summo ciuitatis imperanti visum fuerit, nisi *lex publica fundamentalis modum specialem* determinauerit.

## §. XVII.

## §. XVII.

2. **V**t hoc ius summi imperantis sit *perfectum*, & *connexum* cum *imperio eminenti*, vi cuius imperans potest *cogere* subditos inuitos ad militiam, quatenus *utilitas reipublicae* id postulat (y). Coniun-  
ctum cum  
iure cogem-  
di subditos  
ad mili-  
tiam,

## §. XVIII.

**E**t quamvis in conscriptione militis *ordinaria* obseruanda sit ea saltem *humanitatis* ratio, vt ad militiam non compellantur inuiti, qui per *curam oeconomiae domesticae*, aut alias reipublicae *utiles* imo *necessarias operas* ciuitati inferuire possunt; haec tamen ratio cessat in *casu necessitatis extraordinario*, vbi *supremum ius imperantis* & *officium* ciuium ad *incolumitatem* ciuitatis prae iuribus & officiis *subordinatis* manifestam praelationem tenent (z). Etiam pri-  
uilegiatos  
in casu ne-  
cessitatis.

## §. XIX.

---

(y) *Syst. I. P. V. P. III. C. II. §. 5.*

(z) Conf. IOANN. BVDDEVS *de officio imperantium circa conscribendum militem.* Halae 1700. & GEORG. FRID. DEINLIN *an & quatenus cines ad arma pro rei-publica capienda cogi possint.* Altd. 1719.



## §. XIX.

*Obligatio militum electorum & conductorum ex diuersa causa.* 3. **V**t hoc ius qua *coactiuum* respiciat tantum *subditos*. Ac proinde militum *lectorum* obligatio *ad militiam & ad sequelam ex subiectione ciuili (a)*: *conductorum* vero ex promissione seu *capitulatione*, quae iuxta naturam *pacti inaequalis* ipsis seruanda est, descendit.

## §. XX.

*Ius defensionis militum instituendi in territorio proprio non alieno.* 4. **V**t hoc ius maiestaticum conclusum fit *intra fines proprii territorii, neque cum uiolatione aequalitatis & imperii inter gentes exerceri queat*. Quamobrem in *alieno* territorio *sine consensu domini territorii*, aut *praeuiso pacto*, militem conscribere haud licet. Quumque vi talis *pacti & praesertim concessionis specialis*, haudquaquam sit *translata potestas eminens maiestatica*; nec concessa libertate conducendi militem in alieno territorio *inuitos* conscribere fas est (b).

## §. XXI.

(a) *Syst. I. P. P. III C. II. §. I. & 5.*

(b) *WOLF. Inst. Iur. Nat. & Gent. P. IV. C. VII. §. 1174. & L. B. de ICKSTATT. diff. de illicitis militum conquisitionibus. Huc quoque referatur disquisitio de PLAGIO militari ex WOLF. loc. cit. & diff. ANDREAE MERKELIN de PLAGIO militari. Aldorf. 1728.*

## §. XXI.

**S**tatus militiae nequit subsistere absque *disciplina militari, victu & stipendiis.* Quare iuris maiestatici circa militiam pars essentialis est III. ius summi imperantis *ordinandi disciplinam militarem, ius erigendi granaria, & aevaria militaria,* ex quibus victus & stipendia pro ministeriis bellicis solvantur.

## §. XXII.

**P**orro ad stipendia militaria vna cum *vestitu* pertinet *habitatio.* Quapropter ex iure belli & conscribendi milites simul fuit IV. ius maiestaticum, *assignandi hospitia militum personalia,* quod vocatur ius *metationis,* prouti ambitum huius iuris fufius explicat BÖHMEN (c), & de obligatione publica subditorum correlatiua iam praelibatum fuit in Syst. I. P. V. Part. III. C. II. §. 4.

## §. XXIII.

**V**ltterius a iure belli dependet V. ius *fortalitii;* quo nomine venit *munimentum;* quod *securitati publicae inseruire, hostemque repellere valet.*

## §. XXIV.

---

(c) L. P. V. Part. spoo. L. II. C. I. §. 27.

## §. XXIV.

*Libere ex-  
arcedendum.*

**H**oc ius *fortalitii* considerandum est sub duplici respectu, vel *ad gentes externas*, vel *ad ciuitatem subiectam*. Priori modo sumtum est ius *libertatis naturalis*. Quemadmodum itaque iure gentium prohibitum est *turbare gentem in iure & usu suae libertatis naturalis* (d); ita nulli genti conuenit ius impediendi alteram in *exstructione*, seu *munitione* sui fortalitii, nisi 1) ex *peculiaribus & certis argumentis* appareat hanc exstructionem, seu munitiorem fieri non *tuendi*, sed *nocendi* causa (e): 2) nisi exstructio, seu munitio fortalitii alicui genti per *pactum publicum* speciatim *prohibita sit*.

## §. XXV.

*In proprio  
territorio*

**S**imiliter exinde, quod *iura imperii citra laesio-*  
*nem gentium nequeant expediri in territorio alie-*  
*no*; luculenter patet, gentem, aut imperan-  
tem tantum in *suo* territorio fortalitia erige-  
re

(d) *Sup. P. I. C. II. §. 2.*

(e) *GROT. L. II. C. XXII. §. 5. SAM. SRYCK. de iure  
prohibendi exstructionem fortalitiarum Hal. 1703. &  
ZIEGLERVS L. I. de Iuribus Maicst. C. XXXV. §. 10.  
& seq. contra ALBERT. GENTILEM L. III. de iure  
belli C. XXI.*

re posse, nisi hoc ex pacto, seu foedere per modum *servitutis publicae* in territorio *alieno* sibi constitutum habeat.

### §. XXVI.

Quum ius *fortalitorium* sit ius *maiestaticum*, Est ius maiestaticum. ac per consequens *summo imperanti* proprium; sequitur, ut hoc iure tam quoad *exstructionem*; quam quoad *conseruationem fortalitorum* careant 1) *magistratus subalterni*, 2) *nobiles & landsasii*; quibus nulla quoque pro hoc iure patrocinetur causa *defensionis*. Hanc enim a tota ciuitate expectare debent, semperque metuendum est, ne tale propugnaculum *priuatum* in *perniciem* reipublicae uergeret (f).

### §. XXVII.

Pariter quemadmodum hoc ius fundatur in Connexum ratione *salutis publicae*; ita conexus est cum imperio & dominio eminenti in personas & bona ciuium subiectorum, cum *imperio & dominio eminenti in personas & bona ciuium subiectorum*, vi cuius summus imperans pro *exstructione*, seu *munitione fortaliti* non personas & res subditorum. tantum *operas personales & collectas* a subditis cuiusuis ordinis exigere, sed & eorum aedes, agros

(f) Conf. *Amad. ECKHOLD* *diff. de iure fortalitorium* Lips. 1666.

agros aut castra, quin & *templa* sub *certis* saltem *conditionibus* \* demoliri potest.

\* Tales conditiones, supposita reipublicae *necessitate*, sunt 1) vt seruentur *templa* ad *cultum DEI* & *administrationem sacramentorum necessaria*, quales sunt *ecclesiae parochiales*: 2) vt ex praescripto sacrorum canonum *deportatio sanctissimi* & aliarum *SS. reliquiarum* a templo diruto in aliam *ecclesiam venetabiliter* fiat: 3) vt *materialia* templi diruti ob *sanctitatem consecrationis* non adhibeantur ad *vfus sordidos*.

### §. XXVIII.

*De iure diruendi templa ob exstructionem seu munitionem fortalicium.*

**N**eque contrarium euincunt decreta *summorum pontificum* & *canones conciliorum*, in quibus *seuere prohibetur*, *ne ecclesia a laicis incastrulentur* h. e. *vallo muniantur*; & *ad vfum castelli dirigantur* (g): Siquidem hae *leges ecclesiasticae nequaquam derogant iuri dominii eminentis maiestatico* ex *causa defensionis publicae*: sed ad *licentiam priuatam inuasionum & depraedationum* ex castris, quae ob *antiquum ius manuarium* speciatim in *Gallia & Germania* viguerat, praecipue respiciunt.

### §. XXIX.

(g) C. 14. X. q. 1., c. 9. Concil. *Aunion.* de a. 1209., c. 53. Concil. *Budensis* de a. 1279., c. 28. Synod. *Herbipolan.* de a. 1287., c. 17: Concil. *Palensini* de a. 1322.

## §. XXIX.


**T**andem iuri fortalitiorem proximum est *Ius praesidii & aperturae.*  
 VI. ius praesidii & aperturae, vi cuius summo imperanti ius est, fortalitiis & vrbibus militem praesidiarium imponendi, aut aperturam castris sibi seruandi.

## §. XXX.

**Q**uoniam hoc ius est *maiestaticum*; hinc *Denegatur Landfaffio, aut ciuitati municipali absque concessione speciali summi imperantis* competit, simulque respuit *praescriptionem* in contrarium, vtpote quae contra iura *maiestatica*, & in actibus *liberae facultatis* nullum habet vigorem.

## §. XXXI.


**O**b eandem rationem hoc ius locum habet *Divisione iuranti* tantum in *proprio territorio*, nisi pacto *speciali*, aut *foedere clientelari* in *alieno territorio* adquiretum sit. Atque hinc *partitio iuris aperturae* in *maiestaticum* siue *territoriale*, & in *partitium* comprehenso *feudo aperturae*, perspicua euadit.



\*  
N

Schrodt I. G.

CA.



## CAPVT II. DE CAVSIS BELLII

---

### §. I.

*Causa belli.*

**P**raeter ius *libertatis naturalis*, seu, vti vocant, *iustitiam imperii* ad bellum requiritur *sufficiētia causae*, sub qua generatim intelligitur *ratio*, ob quam arma arripiuntur, seu vis alteri infertur, discernenda ab *occasione*, qua *ansa* bello datur, & ab *initio* belli, quod in *primo belli actu* collocandum.

### §. II.

*Vel iustificata vel suasoria.*

**C**ausa belli iuxta GROTIVM (h) duplex est: *iustificata*, quae mouet sub ratione *iusti*: & *suasoria*, quae mouet sub ratione *utilis*. Quum vero ratio *utilitatis* seiuncta a ratione *iustitiae* fit *spuria*, & attendatur nonnisi ex *egoismo gentium morali*, quem lex naturae improbat (i); sequitur, bellum, quod suscipitur ob *solam rationem suasoriam remota causa iustificata*, *iniustum esse*.

### §. III.

(h) L. II. C. I. §. I.

(i) DARIES *obs. iur. nat. soc. & gent.* 50.

## §. III.

**A**t verò certum est, supposita causa belli <sup>De bello fe-  
rino seu  
barbaro.</sup> iustifica 1) in consultationem venire causas *suasorias*, num *e re* ciuitatis sit, iure suo vti? Vbi illae *honestae*, siue aequae sunt, quae a *scopo* ciuitatis desumuntur: *vitiosae*, seu *iniquae*, quae aliunde petuntur. 2) Bellum, quod vtroque causarum genere destituitur, magis *vitiosum* est bello ob solam rationem *suasoriam* suscepto, quatenus illud humanum plane excedit modum, atque ideo nomen *ferini* seu *barbari* meretur (k).

## §. IV.

**C**ausam belli iustificam eamque vnicam in- <sup>Distinctio  
a causa  
belli in re-  
paratum  
seu persecu-  
tium §  
defensio-  
num.</sup> ter gentes ponimus in *laesione* siue *iniuria* vel facta, vel *facienda*. Quoniam itaque ex iniuria facta ius *indemnitate*, ex iniuria *facienda*, id est, *actu intentata* ius *defensionis*, vel *praecautio*nis oritur (l); hinc fluit diuisio belli in

N 2

re-

(k) Conf. ea, quae in Syst. I. P. V. Proleg. C. II. §. 9. \*\* de obligatione imperantis, abstinendi a bello etiam iusto, sed republicae nociuo, per regulam de collisione legum naturalium corroborata sunt.

(l) Sup. P. III. C. I. §. 1.



*reparatiuum*, quod ad *indemnitatem*, siue *reparationem iniuriae factae* : seu in *persecutiuum*, quod ad iuris sui *perfecti persecutionem* geritur : in *defensuum*, quo vi ab altera gente *intentatae resistitur* : & in *affecuratorium*, quo *futura laesio praecauetur*.

## §. V.

*Negatur bellum punitorium.*

**A**t vero iure gentium incognita est altera, quam GROTIUS (m) assignat, causa belli, nempe *poena ob violationem iuris naturae quatalem, genti delinquenti instigenda*, quoniam huic inter liberas gentes obstat defectus *imperii*, ex quo ius puniendi vnice fluit, ac per consequens bellum *punitorium* inter gentes exulat.

## §. VI.

*Ob violata officia gentis erga Deum & erga se ipsam.*

**V**el enim hoc bellum *poenale* concipitur ob violationem legis naturalis in officiis gentis *erga Deum*, aut *erga se ipsam* ; & 1) ex hac violatione nulla sequitur *laesio*, siue *iniuria*, ideoque abest fons genuinus, siue vnica causa

---

(m) L. II. C. XX. §. 18. & seq. quem inter reliquos sequuntur DARIUS *obs. iur. nat. soc. & gent. LVI.* & GEORG. AD. REYHER *de bello punitiuo inter gentes iure gentium necessario licito.* Hal. 1744.

causa belli iustifica (§. 2 ). Et sane 2) *aequalitati & libertati* gentium naturali palam aduersatur, vt vna gens sibi arroget in alteram *iudicium de moralitate* actionis, qua est *legis* violatio, aut de adimptione officii *absoluti*, quatenus eius non interest. Quamobrem 3) obligatio naturalis & inde promanans ius gentis *agendi ea ratione, qua conatus aliarum gentium leges naturales violandi infringitur, & perfectiones conseruantur, atque augentur*, ex sufficientia medii ad finem non progreditur *in infinitum*, sed commensuratum est *diuersis* iuribus & officiis gentium naturalibus, ita vt iuri *belli coactiuo* locus sit quidem ob violationem iurium & officiorum *relatiuorum perfectiorum*, non autem propter violationem legum naturalium circa officia gentium *erga Deum & erga se ipsam absoluta\**, quum 4) alias metuendum sit, ne ius belli *punitiuum* in mutuam bellorum *licentiam* inter gentes degeneret, adeoque in vniuersali societate gentium generatim maiora producat mala, quam ipsa delictorum inter gentes consummatio & impunitas (n).

N 3

\* Con-

---

(n) Conf. Syst. I. P. V. Part. H. C. III. §. 8. f. 99.

\* Consentit nobiscum SCHMID (o), qui post FERDINANDVM VASQVIVM (p) scribit: *si modo principes christiani ethnicos, quorum plurimi contra ius naturae grauius peccant, bello oppetere velint, ut delicta eorum puniant, aut vindicent: bone Deus! quantae turbae in maxima orbis parte enascerentur? quid fiet, si principes christiani aliorum quoque christianorum principum, quorum nonnulli etiam in ius naturae haud leuiter impingunt, delicta armis punire aut vindicare audent? Aduersit hoc probe IOSEPHVS a COSTA de procuranda Indorum salute Lib. 2. C. 5. p. m. 103. seq. scribens: quodsi magistratus aut respublica barbarorum suo muneri non facit satis; habet iudicem Deum, non rempublicam aut principem externum. Alioquin cum grauissime peccent interdum principes, aut magistratus nostri, licebit vel Gallo, vel Italico, vel Anglo Hispanensis reipublicae peccata castigari, & ius dicere, ut vicissim inter se principes hae auctoritate fungantur. Quo neque ineptius, neque rebus humanis exitiusius quisquam dici potest. Quin & idem confectarium perspexisse videtur ipse GROTIUS (q). Quare ius puniendi in statu naturali, & exercitium belli punitiui inter liberas gentes plurimis circumscripsit limitationibus & cautelis, quas tamen submoto fundamento belli poenalis superuacuas esse per se constat(r).*

## §. VII.

(o) *In diss. de bello punitiuo. Lipsiae, an. 1714. Cui iungatur MASCOV. diss. de praecipuis inter GROTIUM & PUFENDORF. controuersis.*

(p) *L. I. controu. illust. (q) Loc. cit. §. 41. & seq.*

(r) *Conf. IOS. ANT. SCHVSTERN. diss. de iure puniendi in statu naturali. Pragae 1760.*

## §. VII.

Vel causa belli poenalis defumitur a violato officio *perfecto* gentis erga *gentem tertiam*; & sicuti officium perfectum genti *tertia* debitum pertinet tantummodo ad *totam suam gentem tertiam*; ita genti extraneae iure socialitatis competit quidem ius *imperfectum* *spendi* genti laesae, praesertim si haec auxilium eius *implorauerit*, non vero ius perfectum *compendi*, & belli *poenalis proprio nomine* suscipiendi, prouti infra differte docebimus (s).

## §. VIII.

Vel bellum *punitivum* conceditur genti laesae *contra gentem laedentem*; atque ita coniungitur cum bello *defensiuo*, aut *reparatio*, & ius, inferendi mala physica genti laedendi, utpote quod provenit ex iure *connato se conservandi*, a gente laesa exercetur non propter eam actionis qualitatem, qua est legis violatio, sed qua est *laesio*, siue violatio *iuris sui perfecti*. Proin illa mala, quae *ultra quantitatem*

(s) Conf. SCHIERSCHMID *elem. iur. nat. social. & gent. P. I. §. 258. coroll. 3.* & COCCET *ad GROT. L. II. §. XX. Prop. VI.*

*ritatem laesionis in bello inferuntur, rationem habent non poenae, sed cautionis pro futura securitate, quae intra ampliores limites defensionis, aut indemnitatis plenariae in statu naturali continetur, ac per consequens cum bello defensiuo, aut reparatiuo ex causa laesionis bellum non tam punitiuum proprie tale, quam affecuratorium coniungitur.*

\* Notetur hic differentia inter statum naturalem & ciuilem imperii, quod in statu priori cautio de non offendenda propria vi: in posteriori non nisi implorata auctoritate & officio iudicis quaeri possit (t).

### §. IX.

*Responde-  
sus Dario-  
se.*

Quae quum ita sint; frustra obmouet DARIUS (u), quod actus laesionis, qua vitiosus, habeat duas qualitates: ut sit delictum, & futura aut praeterita illatio, damni, consequenter ex illa qualitate descendat ius puniendi, & ex hac ius defensionis, aut postulandi praestationem damni. Si quidem hisce nihil aliud euincitur, quam ex animo siue maiori proëressi laedendi genti laesae in statu naturali adcrefcere ius, sibi procuran-

(t) Conf. HERTIVS *diss. de social. primo iur. nat. princ. sect. III. §. ult.*

(u) *Obs. iur. nat. soc. & gent. LXVI. §. 8.*

curandi *securitatem efficaciorē* pro conditione gentis laedentis aut hostis, ac per consequens ius ad poenam *affsecutoriam*, quae autem nonnisi sub *latiore* notione poenae comprehenditur (w).

## §. X.

**S**umma ratio iniuriæ inter gentes continetur in violatione aequalitatis & libertatis gentium naturalis (x). Iam verò haec aequalitas & libertas violatur, si vna gens sibi arroget *praerogatiuam*, aut absque speciali pacto *praecedentiam*, vel prorsus ius, aut plane imperium in gentem alteram: si alteram *turbet*, aut *impediat in suis actionibus & exercitio summi imperii*, quin & *se se immisceat regimini alieno: si formam publicam aut modum alterius perueniendi ad imperium subuertat: si rebellibus alterius civitatis opem ferat, vel speciatim receptum ANTEA PROMISSVM praebet: si perfectiones alterius gentis morales & physicas impediat aut plane destruat: si existimationem alterius contumeliis vel calumniis laceffit: vel si iura perfecta connata alterius*

*Causae belli inter gentes ex violationis officis gentium per seculis absolutis.*

N 5

rius

(w) *Syst. I. P. V. Part. II. C. III. §. 7.*

(x) *Sup. P. I. C. II. §. 2.*

*rius gentis quocunque modo laedat, & laesionem non reparet* (y); igitur *violatio aequalitatis ac libertatis gentium naturalis modis recensitis iusta belli causa est.*

## §. XI.

*Ex violati-  
one pacti,  
dominii,  
aut foederis.*

**S**imiliter aequalitas gentium naturalis laeditur per violationem iuris & officii inter gentes perfecti *hypothetici*. Haec autem violatio committitur in turbatione dominii (z), in violatione pacti aut foederis (a); ergo *turbatio dominii, violatio pacti aut foederis* inter gentes iustam *belli causam* tribuit.

## §. XII.

*Ex denegati-  
one transi-  
tus simp-  
licis.*

**V**terius *cum violatione aequalitatis* gentium naturalis coniuncta est denegatio officii innoxiae vtilitatis *passivi* (b). Quum itaque huiusmodi officium inter gentes sit *concessio transitus simplicis* per alienum territorium singulis peregrinis facienda (c); hinc *ex denegatione* talis

---

(y) *Ibid.* §§. 3. 12. 19. 21. 22. 25.

(z) *Sup. P. II. C. I. §. 2.*

(a) *Sup. P. II. C. III. §. IV.*

(b) *P. I. C. III. §. 11.*

(c) *P. II. C. II. §. 7.*

lis *transitus* absque specialibus causis facta iustam *belli* causam inter gentes oriri, facile liquet.

### §. XIII.

Sed grauior disquisitio est de transitu gentis armato, seu cum copiis militaribus, an hic sit ius inter gentes PERFECTVM, & consequenter, si negetur, armis & bello vindicari possit? Idque indeo negamus, quoniam 1) transitus armatus plerumque secum fert plura onera & incommoda. Et sane 2) non vane metuendum, ne vel altera gens belligerans pariter cum suo exercitu transeunti occurrat, sedemque belli in regione pacata figat, vel ex suspitione affectus hostilis causam inferendi belli genti, transitum vltro concedenti, arripiat, seu alio modo noceat. Quamobrem 3) concessio talis transitus inter gentes vix est innoxia, aut seruat modum officii innoxiae vtilitatis actiui & amoris, quod vt vi & bello extorqueatur, per aequalitatem & libertatem gentium naturalem implicat (d).

### §. XIV.

(d) *Sup. P. I. C. III. §. 10. Conf. STRAVCHIVS de Imp. maris Cap. VIII. §. 2. GRONOV. ZIEGLER & HEINEC. ad GROT. L. II. C. II. §. 13. & GLAFEY. im*



## §. XIV.

*Obiect. o*  
*Grotii.* **N**eque in contrarium mouent argumenta  
dissentientium, quando cum GROTI  
(e) aiunt, *ius transeundi non tolli metu gentis ad  
concessionem transitus obstrictae, & dari media suf-  
ficientia cauendi contra hunc metum, vti 1) si  
praestetur cautio de securitate & indemnitate, 2)  
si diuisis manibus transmittantur copiae, 3) si in-  
ermes, 4) si impensa transeuntis praesidia idonea  
conducantur.*

## §. XV.

*Resoluitur.* **E**a enim minoris momenti sunt, quoniam  
1) metus gentis transitum concessurae  
non vanus est, sed *probabilis*, & coniunctus  
cum vera *collisione* officiorum gentis *erga se &  
erga alios*, vi cuius gens intermedia iura &  
officia suae *incolumitatis* summo iure praefert.  
Et quod 2) allegatas cautiones attinet, prima  
in statu gentium naturali valde *lubrica* est, at-  
que indubie iudicium de sufficientia cautio-  
nis *propter possessionem sui medii* debet relinqui  
genti pro transitu rogatae: altera & tertia  
re-

---

*Weltrecht Cap. II. §. 125. & DARIES Inst. Iu-  
risp Vniu. P. spec. Sect. VIII. Cap. II. §. 155.*

(e) L. II. C. II. §. 13.

repugnat *rationi belli* tum intuitu *militis trans-*  
*euntis*, cui sine armis (quasi abscissis mani-  
bus) incedere probrosum, tum intuitu *hostis*,  
qui exercitum *inermem & diuisum* subito obrue-  
re posset: quartam nimis *sumptuosam* esse qui-  
uis facile intelligit.

## §. XVI.

**V**rget quidem COCCEIVS (f), *illud esse iuris* Responde-  
*naturalis, sine quo princeps ius suum defendere* tur Cocce-  
*non potest: at sine transitu non potest; ergo transitus* io.  
*est iuris naturalis.* Sed hanc rationem veram  
esse intuitu *hostis*, non autem ratione gentis  
*pacatae*, quam *possessio sui medi* tuetur, princi-  
pia legum naturalium fatiſ commonſtrant.

## §. XVII.

**E**nimuero ob hanc rationem ſequitur ex- Exceptio  
ceptio in caſu *extremae neceſſitatis*, vbi in caſu ex-  
transmiſſio exercitus per alienum territorium trimaſ ne-  
*unica eſt ratio expediendae ſalutiſ.* Tunc autem ceſſitatis.  
ius transitus *imperfectum* abire in ius *perfectum*  
ex dictis (g) *prorſus conficimus.*

## §. XVIII.

(f) *Ad GROT. loc. cit.*

(g) *Sup. P. I. C. III. §. 4.*

## §. XVIII.

*Nihil probatur exemplis.*

Quae quum ita sint ; nihil probatur in contrarium *ex communi gentium consensu*, pro uti hunc GROTIUS (h) pluribus *exemplis* firmare annitur. Etenim hisce plura *denegati* transitus exempla inter gentes solide obuertit GRONOVIVS (i), & speciatiim in casu Amorrhacitarum, qui ob negatum transitum a Moyse bello victi sunt (k), tria *peculiaris* deprehendimus. 1) Quod denegatio transitus a Sehone rege Amorrhaeo facta fuerit in circumstantia *ineluctabilis necessitatis*, vbi populo Israëlitico alia via ad terram a Deo promissam *praeclusa* fuit, neque is *absque euidenti periculo* subeundae prioris *seruitutis*, aut *pereundi* in deserto reditum mouere potuit. 2) Haec denegatio transitus coniuncta fuit *cum adgressione* Israëlitarum ab Amorrhaeo attentata, alioquin enim Moyse in vindicato transitu adquiescere, neque ad vltimum Amorrhaeorum *excidium* progredi debuisset. Accedit 3) quod Israëlitae ob eandem causam bello non petie-

---

(h) *loc. cit.*

(i) *In not. ad GROTI. loc. cit.*

(k) *Numeror. XXI, 21. seqq.*

petierint regem Edom. (l), sed potius *ab eo diuerterint*, siue quoniam non aequè *innoxius* futurus fuisset ille transitus, siue quia non aequè videbatur *necessarius*, quum alia via Kadefum pateret (m).

### §. XIX.

**A**equalitati gentium morali nihil officit in-  
 aequalitas *adscititia* gentis separatim sum-  
 ptae *quoad potentiam* (n), quin potius ab aequa-  
 litate gentium morali ac libertate alienum  
 est, vt vna gens alteram turbet in iure au-  
 gendi *iustis mediis*, & *acquisitionibus* suam po-  
 tentiam

*Iusta cau-  
 sa belli non  
 est metus  
 increscen-  
 tis poten-  
 tiae aut  
 ratio ad-  
 quilibrit.*

(l) *Ibid.* XX. 17. *sqq.*

(m) Videantur de hac materia PUCHOLZ *de vi iusta* *dissert.* 1. *sect.* 2. *n.* 21. *Pragae* 1728., CHRIST. SAM. ZIGRA *de iure belli ob transitum per alienas ditiones exercitus denegatum* Viteb. 1686., CHRIST. LUDOVICI *de transitu copiarum per territorium nostrum*, LIPS. 1693. IACOB. ROESER *de transitu exercitus denegatio*, Viteb. 1666. PETR. MÜLLER *de officiis transientium cum exercitu per aliorum territoria* Ienae 1682. & 1744. & alii citati a MEISTERO sub voce *transitus*.

(n) *Sup.* P. I. C. II. §. 4.

tentiam (o); inde in subducendis rationibus belli fallunt illi, qui ex *potentia crescente* aut *praepotentia* vicinae gentis, & consequenter ex sic dicta *ratione aequilibri causam* belli *iustificam* adstruere conantur.

\* Aequilibrium inter gentes dicitur *gentium plurimum secundum potentiam ad se inuicem relatarum status, quo potentiae unius praepotentis, vel quarundam coniunctae potentia coniuncta aliarum aequalis est.*

### §. XX.

*Respondetur obiecti-  
oni de sum-  
tae a me-  
tu pot-  
tiae.*

**N**eque aliud euincit *metus ex vicina potentia* cum famosa paroemia: *Melius est praeuenire, quam praeueniri.* Nam quemadmodum hic metus est *generalis*, & valde *incertus*, stimulisque naturae *rationabilibus* & iuri *connato bonae gentium existimationis* haud conuenit, vt illa gens, quae nocere potest, statim etiam *velit nocere*; ita aduersus hunc metum a diuina prouidentia, & ab usitata gentibus *innocia* cautione (vti a foederibus, conscriptione exercitus, munitione castrorum) & non a *vi bellica* praesidium quaerendum esse, per leges naturales *iustae proportionis in sui tuitione* luculenter patet.

### §. XXI.

---

(o) *Ib. §. 23.*

## §. XXI.

**E**xcipe 1), nisi ex *peculiaribus argumentis & factis* appereat, eiusmodi praepotentiam <sup>Exceptio 1ma.</sup> euadere specialiter *tremendam*, i. e. coniunctam cum *laesione imminente*, adeo, vt gentis vnus, vel plurium consociata praepotentia *manifesto proposito* contendat ad alias gentes subigendas, vel ad earum securitatem *iniustis* armis lacefendam. Tunc enim *ex abusu* potentiae non amplius dubio, atque ex laesione *cum certitudine morali* imminente causam legitimae *praeventiois & belli defensui* resultare, nemo ambigit.

## §. XXII.

**E**xcipe 2), nisi conferuatio aequilibrui *specialibus pactis* inter gentes firmata sit. Quo <sup>Exceptio 2da.</sup> casu *violatio pacti* quidem, non illa, causam belli *particularem* inter gentes pacifcentes constituit (o).

## §. XXIII.

---

(o) *Consentiunt post* GROTIUM L. II. C. I. §. 17. & Cap. XXII. §. 5. VITRIAR. ad GROTIUM L. II. Cap. XXII. quaest. 3. PVFENDORF. I. N. & G. Lib. II. C. V. §. 6. & L. VIII. C. VI. §. 5., COCCIVS ad GROTIUM ead. loc.

Schrodt I. G.

O

## §. XXIII.

*Iusta causa belli non est denegatio officiorum inter gentes imperfeutorum.*

**P**orro aequalitas gentium moralis violatur tantummodo *laesione striete tali*, haec vero laesio non committitur violatione officiorum *imperfeete* debitorum, seu *amoris*: imo haec officia in statu naturali nulli coactioni subiacent (p); quamobrem *exactio talium officiorum inter gentes bello vrgeri, aut denegatio eorum armis vindicari nequit* (q).

## §. XXIV.

---

WOLF. I. G. §. 646. & seq. BÖHMER I. P. V. Part. spec. L. II. C. I. §. 9. PUCHOLCZ cit. loc. n. 22. I. G. NEVRETER *diff. de iustis acquilibrii finibus*. Mogunt. an. 1746. & ACHENWALL I. N. L. IV. §. 265. NETTELBLADT *iur. nat. cin. L. II. Sect. I. & seq. memb. III. Tit. I. §. 460. Dissentiunt* IOA. I. LEHMANN *in tract. Trutina, vulgo, hillanx Europae norma belli pacisque, haftenus a summis imperantibus habita*, GVNDLING. *diff. de statu nat.* HOBBSII C. I. VIII. §. 12. GLAFFEY *im Völkterrecht* C. II: §. 67. & seq. LVD. MART. KAHLIVS *comment. de Trutina Europae praecipua belli & pacis norma*, & DARIES. *obseru. I. N. soc. & gent. LXIV.*

(p) *Sup. P. I. C. III. §. 1. & 2.*

(q) *GROT. L. II, C. XXII. §. 16.*

## §. XXIV.

Inde fingillatim concludimus iustam belli *Adplicatur ad specialia.*  
 causam non existere contra gentem, si *humana* fit in augendis gentium aliarum perfectionibus moralibus & physicis *quoad religionem, mores, doctrinam, & sufficientiam vitae*: si commercia *externa non promoueat*, aut ea in suo territorio *limitet, vel praecludat*: (§. 26. & seq.) si specialia honoris signa, ritus ac titulos genti exterae non deferat, aut si quoad agnoscenda consecraria iurium alterius & actuum maiestaticorum in suo territorio contra *decorum* peccet (r): si *matrimonia* cum alterius ciuitatis imperante aut ciuibus, sine contemptu & odio repudiet, aut prohibeat: si minus *aequa* fit in augenda gentium aliarum *gloria*: (s) si peregrinis *nouas* sedes aut *receptum* quaerentibus haec abnuat: (t) gens post beneficentiam sibi exhibitam ingrata sit ingratitude *simplici*, quae a laesione vacua est: (u) secus enim tenendum esse de ingratitude *qualificata*,

O 2

cata,

(r) P. I. C. III. §. 13. *sqq.* 24. *sqq.*(s) Ibid. §. 52. *sqq.*(t) P. II. C. II. §. 4. *sq.*

(u) P. I. C. III. §. 6.



*cata*, vtpote cui *iniuria* inest, suapte patefcit (w).

§. XXV.

*Non datur bellum offensuum ex causa propagandae religionis.*

Similiter ex aequalitate gentium morali & libertate naturali fluit, vt quoad *religionem* suam cuiuslibet genti in foro *externo* relinqui debeat iudicium. Neque *violētia* est medium *aptum* & *efficax* conuincendi *intellectum* de *veritate religionis*. Itaque ex causa *propagandae religionis* nullum ius belli *offensui* enascitur, praeterquam quod sacra lex euangelii rationem promouendae religionis non per arma, sed mediante *verbo* & *doctrina* praescripserit.

§. XXVI.

*Aus vindicandi delicta erga Deum.*

Pari modo violatis officiis *erga DEVM* ius gentis alterius non laeditur, sed solius *DEI*, qui ipse suae iniuriae vindex est. Quare in sola natura nulla continetur ratio, quae genti in gentem tribuat ius bello vindicandi *delicta in DEVM commissa*, qualia sunt *polytheismus*, *idololatria*, *irreuerentia erga DEVM*, *blasphemia*, *epicureismus*, *superstitio*, & *atheismus theoreticus* (x).

§. XXVII.

(w) GROTI. L. II. C. XXII. §. 16.

(x) COVARRVV. *relect*, in C. *peccatum*. p. 2. §. 10.

## §. XXVII.

**E**xcipimus tamen 1) atheismum *practicum*, *Exceptio.* quoniam hic prima *socialitatis* humanae fulcra palam euertit (y), & consequenter vt peccatum non tantum religionis, sed & *iniustitiae* iure belli coerceri potest. Excipimus 2), nisi DEVS vindictam suae iniuriae genti *fideli reuelatione*, aut *iussu speciali* delegauerit, prouti huic hypothefi bella Israelitarum contra gentes damnatas (z) innituntur (a).

## §. XXVIII.

**C**ontra falua *aequalitate gentium morali*, & *Probatur bellum de-* *absque turbatione* in *terro* suo concipi nequit, *sensuum* vt vna gens alteram turbet *in securitate* & *ex-* *ercitio religionis* tum naturalis, tum reuelatae *ex causa religionis.* intra fines sui territorii. Ac proinde *ex turbata securitate religionis naturalis* aequae, ac *reuelatae* iustam belli *defensui* causam suboriri inter omnes conuenit.

O 3

§. XXIX.

(y) P l. C. III. §. 18. sq.

(z) *Numeror.* XXXIII.(a) Confer. S. *Augustinus in Joann.* λ. v. 10.

## §. XXIX.

*Quid sentiendum de expeditionibus cruciatis.*

**I**nde iudicium ferendum de *expeditionibus cruciatis*, quae insignem historiae ecclesiasticae ac profanae saeculi a Christo nato XII. & XIII. partem efficiunt. Harum enim scopum vt iustum nemo tuebitur ex causa *cogendi infideles ad amplectendam religionem christianam*, aut *expellendi eos e suis terris orientalibus*: sed iustitia earum vnice fundari potest *in iure reparandi iniurias christianis ab infidelibus illatas*, & terras occidentis *ab incurfibus Saracenorum* factas tectasque seruandi.

\* Legi meretur CLAVDII FLEVRH *dissertatio VI. in historiam ecclesiasticam*, vbi defectus in executione illarum cruciatarum obuienter, & immutationes disciplinae ecclesiasticae, vti & status politici (speciatim in Germania) alterationes inde profectas erudite recenset, & consequenter communi sententiae de his expeditionibus cruciatis, saltem *minus praedenter* susceptis, firmissimum robur praestat.

## §. XXX.

*Neque ob violata officia gentis erga se ipsam.*

**T**andem quum *nulla violatio aequalitatis moralis* & *iniuria* imputari possit genti, quae violat officia naturalia *erga se ipsam*, & *natura* nulli genti

genti commissum fit ius alteram *adigendi* ad implendas obligationes, quae *ex conservatione & perfectione propria* fluunt; merito repetimus, iniustam esse belli causam, quae ex violatis officiis naturalibus gentis *erga se ipsam* obtenditur. (§. 6.)

## §. XXXI.

**E**x hac regula concludimus, iniusta esse *Ob imper-*  
inter gentes bella non solum *fectiones*  
*stia-* *physicas &*  
*poram*, aut *imperfectiones physicas*, (b) sed & *morales.*

1) ob imperfectiones *morales*, vel 2) ob delicta *in naturam humanam*, vti ex capite *incestus, sodomiae &c.* His enim imperfectionibus & criminibus ius gentium aliarum non laeditur, ac per consequens, quum nemini fiat iniuria, nulla subest *reparandi* per bellum causa & necessitas. Neque 3) *ob negatum ius sepulturae.* Siquidem id non ex officiis *erga mortuos* (quoniam omnia iura morte pereunt) aut ex obligatione *relatiua* erga viuentes (quibus nullum ius in corpora defunctorum competit), sed ex officiis gentis *erga se ipsam* legitime derivatur. (c) Et pari de causa 4) ob *antropopha-*

O 4

giam

(b) P I. C. II. §. 10.

(c) HOFMANN *disp. de coemet. pag. 6. & seq & SAM. COCCEL. ad GROT. L. II. C. XIX. princ.*

*giam simplicem.* Secus enim pronuntiamus de antropophagia *qualificata*, si gens hospites ad se aduentantes interimat, aut captiuos in bello promiscue non parcere soleat, vt carne eorum vescatur. Haec enim facta ostendunt manifestam *mysantropiam*, imo *hostilitatem* erga genus humanum, quam bello *affecuratorio* coercere omnino fas est.

## §. XXXII.

*Contra eos, qui in parentes impii sunt.* Porro ad eandem rationem reduci potest, cur ius belli deficiat contra eos, qui in parentes impii sunt. Etenim haec iniuria est mere *privata*, & ius reliquarum gentium inde non laeditur; atque ideo *cessante iniuria* altera gens frustra bellum moueret ad eius reparationem.

## §. XXXIII.

*De bello pro aliis suscipiendo.* Denique ex iisdem principiis definiri debet, quid iuris sit circa causas belli *pro aliis* suscipiendi. Quum enim officia naturalia perfecta, quae gens genti *tertia*e debet, non sint officia naturalia *nobis* debita, ac per consequens violatio horum officiorum seu laesio pas-

passiva gentis *tertia* non fit *iniuria nostra* (§.7.); facile intellectu est, ex laesione genti *tertia* illata non oriri ius belli *proprio* nomine suscipiendi.

## §. XXXIV.

Totum itaque ius belli *pro aliis* consistit in facultate, *assistendi* genti laesae per bellum *auxiliare*, quo gens a laesione vacua *non suam* iniuriam vindicat, nec *suum* ius defendit, sed alterius causae accedit, & ius suum vindicanti seu reparanti *assistit*. Atque haec facultas pro fonte habet legem *charitatis*, ex qua obligatio ad opem ferendam *imperfecta* deducitur (d).

## §. XXXV.

Enimvero hoc officium beneficentiae gens praestare obligatur nonnisi *indigenti*: hoc autem meritum *indigentiae* demum se prodit *post implorationem auxilii* a gente laesa factam. Quapropter omnino necesse est, ut

O 5

auxi-

(d) Conf. GROTIUS, l. II, C. XXV, cuius tamen principium, naturaliter unumquemque non tantum sui iuris esse executores, sed & ALIENI, erroneae hypothese belli poenalis *superstruam* reicimus.

auxilium bellicum a gente laesa aut inuasa *imploretur*, priusquam illud gens pacata exhibit. (e)

§. XXXVI.

*Respondetur ad rationem dubitandi.*

**N**eque obest, quod officia cbaritatis ab hominibus singulis erga singulos etiam sponte adimpleri debeant, uti teneor sponte succurrere viatori contra latronem. Nam 1) in hac hypothefi viator coniectus est in talem statum, vbi opem aliorum efflagitare non potest: fecus vero obtinet intuitu *gentis laesae*, cui imploratio auxilii alieni vix vnquam est *impossibilis*. 2) Haec defensio viatoris contra latronem per se potest expediri *absque nece* latronis \*: at in bello naturaliter irrogantur *mala duriora* genti *tertia* laedenti. 3) Inuasio latronis in viatorem *notorie iniusta* est: at vero contra *aequalitatem moralem & libertatem* gentium pugnat, vt gens *tertia* vltro sese velut *arbitrum* actionis & belli ab alia gente inchoati obtrudat, quin de iniustitia alienae laesionis per implorationem & expositionem causae a gente laesa factam conuicta sit, atque ita patet, diuersas deter-

(e) Conf. PVFENDORF. I. N. § G. L. VIII. C. VI. §. 14. & WOLF, I. N. § G. L. I. C. V. §. 151. § seq. & COCCEL. ad GROT. L. I. C. V. princ.

determinationes hic in iure naturali gentium, quam hominum singulorum sese exferere.

\* Non possum tamen hic accedere ad sententiam GRO-  
TII (f), qui negat teneri tertium succurrere peri-  
turo, si oppressus, nisi morte caesoris, eripi non potest.  
*Quoniam si iniuasoris vitam, qui inuaditur, suae potest  
praeferre, non peccabit, qui iniuasum id aut eredet, aut  
uollet male: praesertim quum ex parte iniuasoris maius sit  
periculum damni irreparabilis & sempiterni. Etenim 1)  
defensio iniuasi contra iniustum adgressorem lege na-  
turae in pari causa non solum permessa est, sed &  
praecepta. 2) Longe firmior est illa praesumptio, vo-  
luisse eum, qui in periculo vitae sub manu latronis  
versatur, etiam cum occisione iniuasoris euadere, & in  
hoc etiam omnes, qui opem ferre possunt, implo-  
rare. 3) Tertius etiam ignorat, an iniuasus non sit  
extra statum gratiae, adeoque aequali periculo dam-  
nationis aeternae obnoxius. Ac per consequens  
4) quum in collisione legum naturalium cesset obligatio le-  
gis disponentis in fauorem illius, qui causam collisioni de-  
dit (g); manifesto sequitur, imputandum esse iniu-  
sitiuae aggressoris, vt lex naturae de non occidendo al-  
terum hic cedat legi naturali succurre perituro. (h)*

### §. XXXVII.

Quumque gens, quae assistit tertiae genti <sup>Effectus</sup>  
laesae, non proprio, sed gentis laesae nomine <sup>belli auxi-</sup>  
bellum <sup>liaris.</sup>

(f) L. II. C. XXV. §. 7. n. 2.

(g) GLAFFEI im Recht der Vernunft Cap. 1. S. 196.

(h) CONF. HENNIGES & COCCEL. ad GROT. loc. cit.



bellum gerat (§. 33); consequens est, vt 1) gens vi belli auxiliaris acquisitiones bellicas vltra modum expensarum non sibi, sed *genti laesae*, faciat: 2) vt gens adiuuans destituatur facultate, bellum gerendi, si gens laesa qua principalis nolit, aut suo iuri renunciaret. Quandoquidem haec iniuriam remittere, vel saltem suspendere adhuc, & deliberare, atque ita gens adiuuans neque *suo iure* vim intentare potest, quod nullum habet: neque nomine *gentis laesae*, quae suo iure non vtitur (i).

## §. XXXVIII.

*Casus belli  
defensui  
ob iniuriam  
nem gentis  
tertia.*

**A**t vero aliud obtinet, si iniuria genti *A* facta aequè redundet in gentem *B*, adeo, vt certis argumentis, aut non leuibus certe indiciis constet, *gentis A* ruinis & gentem *B* oppressum iri. Hoc enim casu ius ad bellum *proprium* & *defensuum* genti *B* ex obligatione & iure naturali ad *suam conseruationem* indubie subnascitur, quemadmodum nemo vitio verterit vicino, properanti ad restinguendum incendium, dum proximus ardet *VCALEGON*, iuxta illud: *Tumua res agitur, paries quum proximus ardet.*

## §. XXXIX.

(i) Conf. COCCEL, ad GROT. L. I. C. V. princ.

## §. XXXIX.

**O**bligaciones erga alios imperfectae *vi pacti* De obligatione assistendi inter gentes perfecta. transeunt in *perfectas* (k): talia autem pacta, quibus auxilium in bello ferendum alteri genti promittitur, vocantur *foedera bellica*; hinc vigore foederis bellici producitur obligatio *perfecta* assistendi gentibus *foederatis*, prouti de hac obligatione supra (1) fuit actum.

## §. XL.

**P**orro officia humanitatis specialiter debent De obligatione peculiari assistendi. conferri, cui *maiolem* debemus amorem: tale autem motium maioris amoris continetur in *amicitia*; inde peculiaris, *imperfecta* tamen, inter gentes, aut principes efficitur obligatio, gerendi bellum *auxiliare pro amicis*, siue *amicitia* ex cognatione, siue ex affinitate, siue ex alia iusta & honesta causa ortum ducat.

## §. XLI.

**C**aeterum quoniam *in collisione obligationum* Ordo obligationum assistendi aliis gentibus. *maior minorem vincit*: ea vero est *subordinatio* officiorum naturalium, ut officia *erga se* in *paribus*.

(k) P. I. C. III. §. 4.

(1) P. II. C. IV. §. II.

pari causa officiis *erga alios*, & officia erga alios *perfecta* imperfectis, & inter haec officia *specialis amoris* praeferenda sint (m); hinc in bello pro aliis suscipiendo primam causam *subditorum*, alteram *foederatorum*, tertiam *amicorum*, & quartam hominum & gentium extraneorum esse cum GROTIUS (n) rite concludimus.

## §. XLII.

*Bellum suscipiendum cum recta intentione.* Tandem quia bellum ex eo solo capite est licitum, *quatenus est medium ad auertendam, aut reparandam laesionem necessarium*, (o) adeoque media *leniora huic fini non sufficiunt*; consequitur, bellum suscipiendum esse cum *recta intentione* (p), ita tamen, vt haec, qua talis, magis *ad liceitatem*, quam rigorosam belli iustitiam spectet, ac proin ex eius defectu nulla *restitutionis obligatio* concipiatur. (q)

## §. XLIII.

*Cessat ius belli oblata satisfactio.* Multo magis inde elucet, euanescere ius belli, *si pars altera velit satisfacere, aut aequas*

(m) DARIUS *Observ. Iur. Nat. Soc. & Gent.* 67. §. 8.

(n) *Loc. cit.*

(o) *Sup. P. III. C. I. §. 1.*

(p) D. THOM. 2. 2. *qu. 40. art. 1.*

(q) GROTIUS *L. II. Cap. XXII, §. 17.*

quas pacis condiciones offerat. Vbi tamen ex causa impensarum bellicarum, damni dati, & securitatis futurae satisfactio efficacior post, quam ante motum bellum omnino exigere potest (r).

#### §. XLIV.

**E**x eodem fonte deriuatur necessitas, *de-* Necessitas  
denuncia-  
tionis bel-  
licae.  
*nunciandi* feu *indicendi* bellum. Siquidem mediante denunciatione demum innotescit, gentem ius suum aliter, quam *vi armorum* consequi non posse. Est autem denunciatio belli *significatio genti, aut eius rectori, a gente altera seu eius rectore facta, quod aduersus ipsam ius suum vi armorum persequi velit.* Nihilque interest, an ea *per legatum, seu per praeconem, seu scripto* peragatur, cum *forma solennis denunciationis a moribus & placitis gentium particularibus* dependeat. (s)

#### §. XLV.

---

(r) BOEHMRR I. P. V. Part. spec. L. II. C. I. §. 10.  
 & LVDOVICI in diff. de limitibus defensionis in bello defensionis §. 32. & seq.

(s) De more indicendi bella per *feciales* feu *caduceatores* Romanis fere peculiari videatur IOH. IAC. MÜLLERI diff. de iure feziali Ien. 1693.

## §. XLV.

*Est vel  
conditio-  
nata vel  
pura.*

**D**enunciatio belli duplex est, *conditionata*, vel *pura*. *Conditionata* est, qua declaratur, bellum illatum iri, nisi res reddatur, aut de iniuria facta satisfiat. *Pura* est, qua *absque conditione* significatur bellum illatum iri.

## §. XLVI.

*Quoad  
modum de-  
nunciandi  
extrinse-  
cum.*

**A**t vero notandum, hanc distinctionem vnice referri ad modum denunciandi belli *extrinsecum*, quum quaelibet denunciatio belli *conditionalis* sit *ex scopo* indictionis, vi cuius huic semper inest *conditio*, nisi *gens satisfecerit* (t). Atque in hac re merito recedimus a sententia DARIESII (u) quoniam per rationem eius in contrarium depromptam ex axioma: *Si promissioni nulla adiecta est conditio, pactum pro puro haberi debet*, *conditio extrinseca* cum *conditione actui intrinseca* manifesto confunditur.

## §. XLVII.

---

(t) GRIEBNER *Princ. Iurisp. Nat. L. III. C. XIII. §. 5. not. 2.*

(u) *Iustit. Iurisp. Vni. P. spec. Sect. VIII. C. 1. §. 961. schol.*

## §. XLVII.

**N**ec minus ex scopo indictionis conficimus, *Sufficit de-*  
*naturaliter opus non esse, ut denunciationem nunciatio*  
*belli conditionatam sequatur pura, quum per se nata abs-*  
 pateat, altero ius denegante genti laesae aliud *que pura.*  
*medium* id consequendi non superesse, quam  
 bellum (w).

\* Notetur ratio *positiva* instituti Romani quoad distin-  
 ctionem *clarigationis a denunciatione* belli, ut parte  
 aduersa satisfactionem negante demum sequeretur  
 denunciatio, quae ideo in clarigatione saltem *uen-*  
*tualiter* continebatur.

## §. XLVIII.

**T**andem quemadmodum *necessitas, denuncia-* *Denuncia-*  
*di bellum, determinatur ex scopo denun-* *tio non re-*  
 tiationis; ita euidens est, *cessare necessitatem,* *quiritur in*  
*denunciandi bellum, cessante scopo indictionis.* Qua- *bello defen-*  
*suo.*  
 re etiam si opus sit denunciatione in bello of-  
 fensiuo, id est, *persecutiuo*, aut *reparatiuo*: ces-  
 sat tamen 1) obligatio denunciandi in bello  
*defensiuo*. Siquidem iure naturae omnino *vim*  
*vi repellere licet*. Et profecto gens frustra interro-  
 garetur,

---

(w) WOLF. *inst. iur. nat. & gent. P. IV. C. VII. §. 1183.*

Sbrodt I. G.

P

gavetur, num satisfacere velit, quae actu vim alteri infert.

## §. XLIX.

*Alii casus  
cessantis  
denunciatio-  
nis.*

Quin & ob eandem rationem 2) denuncia-  
tio omittenda est in bello *offensiuo*, si  
indictio belli *tuto* fieri non potest; vti, si al-  
tera gens *legatos* non admittit, neque est oc-  
casio, mittendi epistolam: aut 3) si reparatio  
iam antea *petita & negata* est. Hoc enim casu  
gens quouis tempore ius suum vindicare *abs-  
que indictione* potest. Et 4) iure *talionis*, si al-  
tera gens bellum denunciare non soleat.

## §. L.

*Bellum non  
statim post  
indictio-  
nem infe-  
rendum.*

Denique ex eodem *scopo indictionis* fluit, bel-  
lum *non statim*, atque indictum est, infe-  
rendum, sed tempus aliquod expectandum  
esse, intra quod *ex natura* negotii satisfactio  
offerri potest. Quanquam *mora*, quae indi-  
centi *damnosa* foret, parti aduersae haud in-  
dulgenda veniat per regulam *collisionis iurium*  
& officiorum naturalium *erga se & erga alios*.

\* Assertio GROTHI (x), qui statuit, *indictionem nullam  
post se tempus iure gentium requirere*, fluxit ex falsa hy-  
pothesi.

---

(x) L. III. C. III. §. 13.

pothesi, indictionem propter peculiare belli *solen- nis effectus* tantum esse necessariam: non vero agno- vit, ideo eam fieri, ut pars aduersa *monetur* de constante nostro proposito ius nostrum vi perse- quendi.

## §. LI.

Caeterum quemadmodum indictio belli de- *Denunciatio belli non est facienda praedonibus, aut subditis rebellibus, nec* bet fieri non nisi *inter liberas gentes*, aut *summas potestates*, quibus solis ius belli compe- tit; ita 1) ea non debet fieri *subditis rebellibus*, aut *praedonibus*: nec 2) subditis alienis *speciatim*. Bellum enim summo imperanti ciuitatis *speciatim subditis alienis* indictum eo ipso censetur indictum *toti genti*, aut simul *subditis*, quoniam hi tenentur sequi iudicium principis.

## §. LII.

Similiter denunciatio belli genti quoad cau- *Neque. Jan. eius.* sam belli *principali* facta refertur ad *socios*. Nam 1) de fociorum causa non agitur, quum saltem sint *instrumentum & accessio* hostis clari- gati. Et sane 2) in vnoquoque bello *vna* cla- rigatio sufficit: hic autem *unum* bellum est, cui adssistit focus.



## §. LIII.

*Exceptio.*

**A**liud vero obtinet, 1) si singuli focii ex propria causa agant, & vnusquisque fociorum propriam causam perfequatur. Tunc enim duae sunt diuersae iniuriae, duae belli causae, quin & bella separata, licet focii coadunatis viribus hostem adgrediantur; proinde requiruntur & tot clarigationes. 2) Si primo bello absoluto altera gens ob auxilia supeditata bello impetatur. Tunc enim opus est noua indictione, quia talis gens non vt accessio spectatur, sed vt principale aliquod (y).

## §. LIV.

*De publicatione belli.*

**A**denunciatione belli differt publicatio, qua denotatur significatio belli a summo imperante, qui bellum suscipit, subditis suis, vel etiam aliis gentibus facta, siue haec publicatio subditis vel per praeconem, vel per rescripta: & aliis gentibus vel per ministros, aut per literas iis missas, aut vtrique per scripturam typis expressam fiat.

## §. LV.

---

(y) Cocceius ad Grot. L. III. C. III. §. 10. & Kavf-  
fel' cod. loc. Ioan. Conr. Loehé de indictione belli.

## §. LV.

**P**ublicationi belli accedunt *manifesta*, quae *De mani-*  
 nihil aliud sunt, quam *libelli publici, in festis,*  
*quibus rationes declarati atque suscepti aduersus ho-*  
*stem belli iustificas exponere solent gentes.* Atque  
 hisce a parte belligerante altera plerumque  
*antimanifesta*, siue confutationes manifestorum  
 opponuntur, vsu quotidiano hanc in rem no-  
 torio (2).

## §. LVI.

**F**inis publicationis bellicae respectu *subdito-* *Finis pub-*  
*rum* est, vt his constet de iure suscipien- *licationis*  
 di hostilitates contra hostem declaratum, & *bellicae.*  
 de expletione suarum obligationum socialium  
 ciuiliu erga suum principem in bello, & *re-*  
*spectu gentium extranearum*, vt hae persuadean-  
 tur de iustitia causae. Quare publicatio bel-  
 li respectu subditorum *absolute*, respectu au-  
 tem gentium extranearum *pro datis demum cir-*  
*cumstantiis* est necessaria.

P 3

§. LVII.

Altorf. 1754. PHIL. ERNEST. de FEILITZSCH de  
*inditione belli & clarigatione.* Ienae 1754.

(2) Vid. IOAN. HENR. BOECKLERI *exercit. de clarig. &*  
*manifestis.*

## §. LVII.

*Publicatio belli est necessaria, siue sit defensiuum, siue offensiuum.*  
**P**orro ob eandem rationem patet, *publicatione* belli opus esse tam in bello *defensiuo*, quam in bello *offensiuo*, quum defensio aequae ac offensio inter gentes *iniusta* esse possit (a).

## §. LVIII.

*An bellum vtrunque possit esse iustum.*  
**D**enique ex datis haecenus principiis de iustitia belli responderi debet ad quaestionem, *an bellum vtrunque iustum esse possit?* GROTIUS (b) hac in re distinguendas esse putat varias acceptiones *iusti*. Iustum enim aliquid dicit 1) aut *ex causa*, aut *secundum effectus*, 2) *ex causa* rursus aut *speciali acceptione iustitiae*, aut *generali illa*, qua *omnis reſtitutio* eo venit nomine: 3) specialem acceptionem iterum diuidit in eam, quae *ad opus pertinet*: & eam, quae pertinet *ad operantem*.

## §. LIX.

---

(a) Conf WOLF *I. I. N. & C. Part. IV. Cap. VII. §. 1186* & seq. & ACHENWALL *jur. nat. & gent. L. IV. Sect. IV. §. 268*.

(b) *L. II. C. XXIII. §. 18*.

## §. LIX.

**H**isce praemissis concludit, *speciali acceptio-* Sententia Grotii.  
*ne iustitiae* bellum vtrunque iustum esse non posse: fieri tamen posse, vt neuter *iniuste* agat, si scilicet vterque putet, iustam sibi causam esse.

## §. LX.

**D**enique si iustum accipitur *secundum effectus* Idem.  
*quosdam iuris*; hoc sensu bellum vtrunque iustum dici posse, affirmat, quatenus in bello publico *solenni*, vi *iuris gentium voluntarii*, de iustitia causae non quaeritur, adeoque vtraque gens iure bellum gerere potest, non quidem quoad iustitiam internam, sed *externam*. Atque huius rei effectus est, vt etiam is, qui *iniustam* causam fouet, *impune* hostem laedere & rerum hostilium dominium *externum* acquirere, neque ideo ab aliis gentibus puniri possit.

## §. LXI.

**D**ARIES (c) distinguit inter bellum *non iudiciale & iudiciale*: & de priori negat, bellum Sententia Dariesi.

P 4

ra-

---

(c) *Obstru. iur. nat. soc. & gent. LXVIII. §. 49.*

ratione *causae* vtrunque *iustum* esse posse : de *posteriori* autem id affirmat.

## §. LXII.

*Deciditur.* Sed quoniam distinctiones GROTH ad simplicitatem iuris naturae & gentium non ita quadrant, & bellum *in controuersus gentium* non aliter potest considerari, quam *modus adigendi alteram partem ad transactionem* (d); hinc magis plana & vera est conclusio, bellum ex vtraque parte non posse esse iustum *in se*, seu *ratione causae*, quia veritas duorum contradictoriorum impossibilis est, quamuis possit esse *ultro citroque iniustum*, veluti si in re dubia vterque aequas compositionis condiciones *respuat*. Si enim vna gens ad transigendum parata sit, idque facere altera recuset, tunc *posterior* tantum est *laedens*, & bellum gerit *iniustum* (e).



## CAPVT

(d) WOLF. *iur. gent.* C. VI. §. 634. *cum not.*

(e) MARTINI *posit. iur. nat.* Cap. XXIII. §. 577.

## CAPVT III.

### DE IVRE HOSTIS IN HOSTEM ET ADQVISIONE BELLICA.

#### §. I.

**V**bi bellum rite susceptum est; legitime sequuntur *iura hostis in hostem*, quae ratione naturali non alium fontem respiciunt, quam *necessitatem medii ad finem*. Quoniam itaque genuini fines belli inter gentes sunt *persecutio iuris sui*, aut *reparatio laesionis*, *defensio* & *securitatis conseruatio* (f); hinc ea iura naturaliter competunt hosti in hostem, quae *ad persecutionem iuris sui aut reparationem laesionis, ad defensionem & securitatis conseruationem necessaria ac sufficientia sunt* (g).

*Iura hostis in hostem ex finibus belli,*

#### §. II.

**Q**uamobrem gens in bello iusto habet ius, non tantum *plenam* a gente laedente ex-

*Specificae determinantur.*

P 5

107-

(f) P. III. C. I. §. I.

(g) DARIUS *Inst. Iurisp. Vni. Sect. VIII. Tit. II. §. 969.*

torquendi satisfactionem, sed & tantam violentiam adhibendi, quanta sufficit ad superandam hostis iniusti resistentiam, at eius vires imminuendas, ad ipsum adigendum, ut a resistentia desistat, & amplius nocere non valeat.

## §. III.

*Quomodo  
sint in in-  
finitum.*

Enimvero ex hisce conficitur, *quantitatem & qualitatem* mediorum ad fines belli determinandam esse non tam ex *quantitate* laesionis, quam ex *qualitate hostis*, & *necessitate* gentis laesae: quidem huius *iudicio* vi libertatis naturalis esse relinquendum, quid ad *indemnitate*, aut *defensionem & securitate* n suam sufficere existimet. Hac igitur ratione ius hostis in hostem in bello *infinite*, i. e., *indefinitum* esse concipimus (h).

\* Interim qui limites naturales iuris hostis in hostem transgreditur, ex *iusto defensore* fit *iniustus aggressor*, aut hostis *crudelis*.

## §. IV.

*Reiicitur  
sententia  
Grotii de*

Hisce ita constitutis pro superuacua, imo erronea merito habetur philosophia  
GRO-

(h) Conf. IAC. FRID. LVDOVICI *diff. de limitibus de-  
fensionis in bello defensiuo Hal.* 1747.

GROTH (i), qui *specialia* iura hostis in ho-<sup>peculiarē</sup>stem, & effectus belli *peculiares* ex iure gen-<sup>effectu bellī</sup>tium *voluntario* imputat speciali characteri bel-<sup>solemnis.</sup>li *publici solemnis*, quod *utrinque inter summas potestates* post *solemnem declarationem & indictio- nem* geritur. Quemadmodum enim ius gentium *voluntarium* in sensu GROTHI vt commentum exposuimus (Prol. §. 7. sq.); ita omnes illos effectus *particulares*, qui bello *solemni* ex iure gentium *voluntario* adscribuntur, vel ad *scopos* belli & singulatim ad *securitatis conseruationem* pertinere, vel quatenus hosce fines excedunt, plane non esse *iuris*, adeoque neque *iuris gentium* cum COCCIO (k) pronum est dignoscere.

## §. V.

EX determinatis belli finibus primario fluit <sup>*Ius occi-*</sup> *ius interficiendi hostem & milites hostiles*. Quum <sup>*dendi mili-*</sup> enim hi actu resistent reparationi, aut de- <sup>*tes hostiles,*</sup> fensionem iuris nostri & securitati; consequens est, *caedem* eorum ad *fines* belli esse omnino necessariam.

\*Posita

(i) *De I. B. P. L. III. C. IV. §. 1.*(k) *Ad GROTH. loc. cit.*



\* Posita hac *relatione naturali medii ad finem* facile conuelli- tur singularis doctrina GROTII (1) *de impunitate tantum*, non autem *de vero iure occidendi hostem*. Praeterquam quod haec opinio milites *homicidi* in foro *conscientiae* reos & extra statum gratiae, repug- nante ipsa sacra scriptura, poneret, simul etiam iura & effectus belli *publici solennis* ad bella *subditorum*, aut *praedonum potentiorum*, quibus occisio innocentium aequae manet *impunita*, contra supposita GROTII inepte traheret.

## §. VI.

*Etiam ho-  
no fide mi-  
litantes.*

Et quoniam hoc ius, *interficiendi militem bo-  
nae fide militem*, praecise non habet pro fundamen- to *peccatum* resistentis, sed *obligationem natura-  
lem*, quae singulas gentes *ad sui conseruationem* ducit; haud obscurum euadit ius occidendi in bello referri quoque ad militem hostis *bo-  
nae fide militantem* (m).

## §. VII.

*Non pos-  
sunt occidi  
subditi bo-  
stis iner-  
mes.*

Ex diuerso ab hac resistentia abstinere sub- diti hostis *inermes* & armis gerendis *inepti*, uti *clerici, senes, infantes, foeminae* &c. Ac proinde harum personarum occisio *ad fines bel-*

li

(1) *Loc. cit. §. 5. n. 2.*

(m) DARIUS *Obs. Iur. Nat. Soc. Gent. LXIII., §. 12.*

li est non necessaria & illicita, nisi & ipsae damnum inferant, & arma fumant, aut discerni nequeat aetas, vel sexus, vt in obsidione ciuitatis (n).

### §. VIII.

**E**quidem in contrariam partem abit SAMUEL de COCCEIIS (o), qui morte dignos putat subditos hostis etiam actu non militantes, tum quia accedunt causae sui principis, eiusque iudicium probant, tum quia opibus suis reparationi iuris nostri resistunt, adeoque causa sunt caedum, & rapinarum, quae ex iudicio nostrae ciuitatis iniuria sunt. Ast quoniam ius ad finem haud largitur ius ad media abundantia; facile patet ex hisce rationibus sequi iustitiam aliorum actuum hostilium, non vero interfektionis aduersus subditos hostis inermes.

*Contra Samuel de Cocceis.*

### §. IX.

**P**ressius vrgent, qui hanc licentiam, occidendi subditos hostis, etiam actu non militantes, competere afferunt ob futurum metum, quod in extrema saltem ciuitatis necessitate resistere

*Resoluitur argumentum contrarium ex futuro metu, quod*

(n) HENR. de COCCEI. ad GROT. loc. cit.

(o) Ad GROT. loc. cit.

*subditi in- teneantur. Enimuero ex hoc metu confici-*  
*ermes in tur solum ius, eos, nisi resistent, capiendi,*  
*extrema cum praesertim haec captiuitas sit medium re-*  
*saltem ne- cipiendi lytron a captis, quo vires nostrae au-*  
*cessitate re- gentur, hostis autem minuuntur, & hostem ex*  
*fistere te- mouendi, & liberorum ad pacem per-*  
*meantur. mouendi.*

¶ *Seuerior vsus victoriae populi Israelitici, qui gentes*  
*Chanaan, vel alios hostes sine discrimine sexus, vel*  
*aeutis internecone delentisse in sacris literis legi-*  
*tur, non pertinet ad generalem iuris gentium regulam,*  
*sed ad singularem diuinae ultionis iussum, aut sit for-*  
*te sine mandato diuino tale quid contigerit, ad histo-*  
*ricam seueritatem referri debet, non ad imitatio-*  
*nem. Quo numero putem esse Dauidicae victo-*  
*riae vsum aduersus Ammonitas II. Reg. XI. 29. sqq.*  
*I. Paralip. 3.*

### §. XI.

*Quaenam*  
*arma in*  
*bello sunt*  
*licita.*

Porro ex eadem aestimatione morali *mediorum*  
*secundum fines belli* definiri debet quaestio  
*de armis in bello licitis, aut illicitis.* Ac per  
 consequens 1) illa arma in bello sunt *licita*,  
 quae ad obtinendos *fines* belli *necessario* con-  
 ferunt. Inde 2) cessat ius vtendi armis *atro-*  
*tioribus*, si leniora ad consequendos fines bel-  
 li sufficiant, ita tamen, vt 3) *qualitas* horum  
 medio-

mediorum dependeat a *libero iudicio* gentis iustum bellum gerentis (§. 3.)

### §. XI.

Hiscē sub determinationibus vera est sententia GROTHII (p) & SAMVELIS de COCCHEIIS (q), *iure naturae stricto vix dari arma in bello illicita*, adeo, ut hostem etiam *venenis necare*, nec non *globos & spicula inficere*, quin & *aquas veneno corrumpere*, ac percussores, qui *nulla fide, alioque peculiari vinculo ei, aduersus quem adhibentur, obstricti sunt*, immittere liceat, etiam si ab hisce omnibus gentes *moratas* satius abstinere iubeant *regulae decori, virtutis & prudentiae*, ne 1) *seueritas bellorum*, quae per se satis grauis est, ex *vsu talionis* nimium intendatur: 2) ne bella *inbutanam libidinem ulciscendi* spirare censeantur, utque 3) caueatur ab illis, ex quibus non ad hostes modo, sed & ad *nosmetipsos*, & ad quam plures *innocentes* perniciēs potest redundare (r).

An venena & percussores in bello sine obstricti.

### §. XII.

(p) De I. B. P. L. III. Cap. IV. §. 15. sqq.

(q) Ad GROTH. loc. cod.

(r) GRIBNER *Iurisp. natural.* L. III. C. IX. §. 8.

## §. XII.

*Arma de-  
terminari  
possunt per  
pacta.*

**Q**uumque optima ratio, officia *decori & virtutis* commutandi in *perfecta*, collocetur in *pactis* (s); hinc conuentiones gentium publicas pro *primaria & inuiolabili* huius rei norma inferuire extra controuersiam est.

\* Exemplum similis conuentionis An. 1673. Argentorati factae adfert KVLPIVS (t) vbi Art. 57. prohibetur : daß man sich keiner Drach vergifteten, gestirneten, und mehrerley ungewöhnlich figurirter und formirter Kugel instünstige gebrauchten solle.

## §. XIII.

*Illicita  
sunt adul-  
teria, stu-  
pra & ar-  
tes magi-  
cae in bel-  
lo.*

**Q**uandoquidem vero haec *subordinatio mediocriorum ad fines belli* neuiquam propagari potest ad media per se *incongrua & turpia*; suapte patet, a rationibus belli abhorrere *adulteria, supra virginum captarum, & attentatas artes magicas*, quia his actibus nulla conuexio *cum finibus* belli, sed *turpitudine naturalis* inest. Et profecto *quid peccauit fides coniugalis, aut pudicitia, ut in hoste vim patiatur?*

## §. XIV.

(s) P. II. C. III. §. I.

(t) In colleg. GROTI. exerc. XI. §. 7.

§. XIV.

**P**orro ex his principiis intelligimus nulla iniustitia laborare aduersus hostem *simulationes, dissimulationes, verba ambigua, & vti vocant, stratagemata*, quum prudentiae & pietatis quoque laudem mereatur; consilio potius quam vi parasse victoriam: at vero prohibita manere *periuria & fraudes in pactis & conuentionibus*; vtpote quibus vinculum religionis erga *DEVM & fides pactorum etiam inter hostes iniurabilis* manifesto temerantur, (u).

*In bello licita sunt stratagemata, non vero periuria & fraudes in pactis & conuentionibus cum hoste iniuris.*

§. XV.

**Q**uodsi vero de *falsiloquiis* contra hostem sermo sit; illa si non *inhonesta*, saltem *temeraria* esse arbitror; cum idem scopus per *simulationes & dissimulationes* in bellis obtineri possit.

*An licita sint falsiloquia?*

§. XVI.

**V**lterius ad modum agendi *boneste* in bello & illud cum GROTIŌ (w) referimus, vt

*Non licet excitare subditos quid hostis ad rebellio-*

(u) Conf. CHR. CAR. STEMPELII *diff. de stratagematibus bello licitis*. Vitemb. 1713.

(w) L. III. Cap. I. §. 21. GLAFEY *im Vösterreich C. III. §. 43. & seq.*

Schrodt I. G.

Q

nem, aut quidquid alicui facere non licet, ad id eum impellere  
 aliam per- & sollicitare non liceat, quum qui alteri peccandi cau-  
 fidiam sam dat, peccet & ipse. Quam ob rationem iu-  
 contra su- re gentium naturali prohibitum est, subditos bo-  
 um prin- stiles ad perfidiam in excitanda rebellione, in assassi-  
 cipem, nio contra suum principem, in oppulis dedendis solli-  
 citare: secus vero tenendum, si hostis opera  
 & perfidia illorum sponte oblata ad rem sibi lici-  
 tam utatur. Alioquin nec transfugas recipere  
 re hosti integrum foret.

## §. XVII.

Respondetur ad ar- Frustra obtenditur, ius hostis in hostem esse ini-  
 gumenta gumentum, & quod quis per se potest facere, pos-  
 contraria. se etiam executioni dari per alium. Nam sicuti pri-  
 us axioma verum est de mediis nonnisi iustis  
 & licitis; ita posterior regula exceptionem  
 patitur, si ex parte mandatarii siue exequen-  
 tis adsit impedimentum personale, seu peccatum  
 morale, id, quod hoc casu perfidia subditorum  
 manifesto inuoluit.

\* Huc pertinet illud S. Augustini L. XI. de morib.  
 eccl. cath. cap. 57. Nihil interest, utrum ipse scelus ad-  
 mittat, an alium propter se admittere velit.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

**F**ortius urget PUFENDORF (x), sicut dominium, Pufendor-  
 quod hostis in res suas habet, respectu nostri<sup>stis</sup>  
 nullum est, quin eas possimus eripere; ita & ius illud,  
 quod idem in suos subditos habet, haecenus nobis nul-  
 lum esse, quod nos curare non teneamur, ut istud  
 ius inuiolatum ipsi persistat. At vero ex his ni-  
 hil aliud euincitur, quam hosti non fieri iniu-  
 riam, si subditi eius ad perfidiam solliciten-  
 tur, idque concedi potest: sed alia est quae-  
 stio, utrum eiusmodi sollicitatio MORALITER LI-  
 CITA sit? quam recte negamus (y).

## §. XIX.

**E**x eodem principio, quod ius ad finem det ius hostis  
 ius ad media, deducitur ius hostis in res ho-<sup>in res ho-</sup>  
 stiles, quatenus exercitium huius iuris ad fines<sup>stiles.</sup>  
 belli necessarium est.

Q 2

§. XX.

(x) I. N. &amp; G. L. VIII. C. VI. §. 18.

(y) KEUFFEL exercit. GROT. VIII. ad Lib. III. Cap. I. §.  
 188. in not. GEORG. HENR. AYRER problema iu-  
 ris naturae & gentium: an hosti liceat hostis ciues  
 ad rebellionem vel seditionem sollicitare. Göttin-  
 gae. 1748.



## §. XX.

*De modis,  
illud ius  
exercendi.*

**P**orrigitur itaque hoc ius hostis in res hostiles quascunque, siue sint *publicae*, siue *privatae*, siue *immobiles* siue *mobiles*, seu *incorporales*. Et consequenter expeditur 1) *occupatione bellica*, id est, actu, quo hostis rem alterius in potestatem suam redigit: 2) *ereptione*, quae strictius ablationem rerum hostilium *violentam* denotat: 3) *direptione*, quae est rerum mobilium ex locis hostium, in quibus adferuntur, ereptio: 4) *expugnatione fortalitorum*: 5) *vastatione* rerum hostilium, hoc est, actu, quo ipsae corrumpuntur, aut destruuntur: 6) *depraedatione*, quae est ablatio rerum *mobilium* hosti a militibus facta.

## §. XXI.

*Quaenam  
vastatio  
rerum ho-  
stilium sit  
illicita.*

**A**t vero quoniam hae acquisitiones bellicae iuxta determinatos belli scopos non sunt iustae, nisi quatenus iis mediantebus vires hostis *infirmiores* redduntur; hinc cessat, & iniusta est speciatim *vastatio* rerum hostilium, si vastatione vires hostis neque imminuantur, neque nostrae augeantur, vt est vastatio rerum *sterilium*, quae *luxui* inferuiunt.

\* Dici-

Dicitur speciatim *vastatio*. Quemadmodum enim vastatio & praedatio inter se differunt, quod *vastatione* hostium vires atterantur, *praedatione* nostrae etiam augeantur; ita *latiores* iuris *praedandi*, quam *vastandi* in bello limites facile dignoscimus.

## §. XXII.

Ex iisdem principiis colligimus, illicitam inter hostes esse vastationem rerum *sacrarum*, quia 1) vastatio harum rerum nihil confert ad *finis* belli, 2) quia per vastationem rerum sacrarum iniuria committitur *in DEVM*, cui res sacrae sunt consecratae, 3) hostis vtetur iure *talionis*, qui aequè confidit suis, ac nos nostris sacris. Et sane 4) etiam si licita sit ereptio rerum sacrarum hostilis, quatenus hostis *vsus* earum in bello facere potest, quum hostis non attendat *vsus*, ad quem res sacrae dedicatae sunt, sed spectet eas tanquam *bona* gentis, cum qua bellum gerit; *praeter necessitatem* tamen ad has extremitates non esse deueniendum, ne *sacra* hostium *turbare* velle videamur, & quia bellum non geritur cum *religione*, sobria WOLFII (z) est admonitio.

Q 3

§. XXIII.

(z) I. Gent. §. 831.

## §. XXIII.

*Præda ab hæc capta cedit genti, aut summo imperanti.* Et quemadmodum bella publica geruntur solis auspiciis & auctoritate gentis, aut summi imperantis ac sumptibus reipublicæ; ita manifestum est, res tum *publicas*, tum *privatas*, tum *immobiles*, tum *mobiles* quocunque modo ex hostibus captas iure belli naturaliter cedere toti genti, aut *summo imperanti*, nisi in quantum gens, vel summus imperans *ex speciali lege*, aut *generositate* prædam militibus, aut singillatim *subditis*, sumptibus seu stipendio *proprio* militantibus, siue partem belli administrantibus reliquerit, aut *belli ducibus* prædæ dispensandæ *arbitrium* permiserit.

\* Notetur in praelectionibus de crimine specifico *perculatus*, cuius rei censebantur, qui *ex præda* aliquid interruerant.

## §. XXIV.

*Refellitur distinctio Grotii inter actus belli vere publicos & priuatos.* Inde corrui assertio illorum, qui res non quidem *soli*, sed *mobiles* in bello captas vel indistincte tribuunt *singulis copientibus*, qui de populo, aut in populo sunt, id est, *subditis* & *militibus*: vel cum GROTIUS (a) distinguunt inter

(a) L. III. C. VI. §. 10.

ter actus belli *vere publicos* (in ministerio publico), & *priuos* ita, *ut per hos actus priuatis res mobilis capta quaeratur primo ac directe: per illos actus populo*. Nam sicuti prior opinio nititur in *spuria fictione* iuris Romani, quod res hostiles occupentur, qua res *nullius* (b); ita actus priuati hostilitatis in bello *ideae subiectionis ciuilibus & disciplinae militaris* de non inferenda vi bellica *citra decretum*, vel *concessionem summae potestatis*, aut *voluntatem praefectorum* suorum aperte repugnant (c).

## §. XXV.

Similiter ex iisdem regulis fluit responsio ad *An praeda cedat sociis?* quaestionem, *an praeda, seu res in bello captae cedant sociis?* Vel enim gens confoederata mittit copias *auxiliares*, cuius bellum non est; & quidquid haec in bello agit, non *suo* nomine agit, sed eius nomine, cuius causam defendit, igitur ius *ad praedam* non habet, nisi *per pacta* sit adquisitum: vel gens *socia peculiare* bellum gerit in gratiam belligerantis; & eius quoque est omne ius, & consequenter ius *praedae* in bello (d). Q 4 CA-

(b) L. 5. §. ult. ff. de acqui. rer. dom. §. 17. l. de rer. diuis.

(c) COCCIEVS ad GROTIUM loc. cit.

(d) Conf. KEVFFEL ad GROTIUM exercit. IX. L. III. C. VI. §. 218. PR. CHRIST. WILDVOGEL de praeda militari. Ienae. 1713.

---

## CAPVT IV. DE IVRE VICTORIAE ET POSTLIMINII.

---

### §. I.

*De victo-  
ria.*

**A**ctuum & operationum bellicarum, quae vi iuris hostis in hostem expediuntur, confectarium & scopus intermedius est *victoria*, cuius nomine intelligitur *praeualentia armorum in hostes*, seu rectius, *is operationis bellicae exitus, quo quantitas vis unius hostis efficit, ut alter porro resistere nequeat*. Atque haec victoria duplex est, vel *ratione certi actus particularis, incompleta, & partialis*, si hostis aut praelio vincitur, aut vrbs occupatur: vel *ratione totius belli uniuersalis, completa, & totalis decidens*, quando hostis totaliter in eum statum redigitur, ut non amplius resistere possit.

### §. II.

*Iura vi-  
ctoriae.*

**E**x his facile constat, iura *hostis in hostem* & iura *victoriae* esse connexa. Quoniam itaque *connexorum aequalis est ratio*; hinc iura *victoriae*

*Victoriae* legitime constituuntur I) in iure postulandi plenam satisfactionem, II) in iure conferuandi securitatem possessionis, III) in iure victum eo redigendi, ne amplius nocere valeat, ac per consequens, IV) in iure eo prospiciendi, vt a victoria *incompleta* ad victoriam *completam & pacificationem cum hoste* deueniamus (e).

## §. III.

Enimvero illud se prodit discrimen inter actus, seu operationes bellicas, & inter actus *victoriae*, quod illi contra hostes actu resistentes, hi in *non amplius resistentes* exercentur. Quamobrem ea iura belli non continuari per victoriam, quae *praecise ad superandam actualem hostis resistentiam* faciunt, perspicuum euadit.

*Iura victoriae exercentur in non amplius resistentes.*

## §. IV.

Neque eo extendi debet ius victoriae, vt haec censeatur habere vim *rei iudicatae* inter belligerantes. Vel enim causa belli *iusta* est;

*Victoria non habet vim rei iudicatae inter gentes.*

(e) Conf. DARIUS *inst. iurisp. uniu. Part. spec. Sect. VIII.*

est; & verum ius non ex victoria, sed ex *iustitia* causae prouenit: vel est *iniusta*: & per se nulla vis acquirendi iuris inest facultati superiori *physicae*, quae destituitur facultate *moralis*: aut demum causa belli est *dubia*; & bellum est modus non decidendi litem, sed *adigendi* partem refractariam *ad transactionem*, quae sane superuacua foret, si sola victoria victoris fieret res controuersa. Quibus accedit, rationem erroris contrarii vero similiter manare ex eo, quod iudicia praeponantur bello, atque hinc porro inferatur, *ubi iudicia cessant, bello locum esse*, ac ideo victoria *sententiae iudicis* perperam aequiparetur, quum tamen euidens sit, statum naturalem esse *anteriorem* ciuili, darique alios modos componendi controuersias a bello *diuersos*, quos lex naturae gentibus quoque praescribit (f).

## §. V.

*Non possunt occidi milites capti.*

**E**x his principiis generalibus omnino definiendi debent effectus & limites iuris victoriae in *personas* & *res* hostium deuictorum &

---

(f) Conf. WOLF. I. | G. Cap. VI. §. 632. in not. contra HENR. COCCEIVM *diff.* de iusto praeliorum exi-

& in *ciuitatem victam*. Imprimis enim quam ius occidendi locum habeat tantummodo contra hostem *resistentem* (C. III. §. 5.); sequitur, cessare ius necandi milites, qui *armis abiectis* sese victos victori dedunt, vtpote qui hostes *resistentes* esse desinunt (ff).

## §. VI.

**A**tque ob hanc rationem obligatio, parcentium Post dedicationem suam absolutam suam conditionatam. di captis, non debet primario deriuari ex pacto receptionis, sed ex lege naturali, quod cessante fine cessent media. Quare contra GROTIUM g) tuto concludimus, parcendum etiam esse i) iis, qui se volunt dedere *sub aequis conditionibus* & a nobis non recipiuntur; quin & 2) illis, qui sine vlla conditione soli arbitrio victoris se permittere coguntur, nisi vel ob delictum peculiare supplicii rei sint, vti transfugae, rebelles: vel in collisione *ius praecauendi nostrae incolumitati* v. g. *ob multitudinem captorum nobis periculosa*, aut *ob defectionem metuendam*, legitimam exceptioni causam praebet (h).

## §. VII.

(ff) HENR. BOECKLER *diff. de milite captiuo*.

(g) L. III. C. IV. §. 11.

(h) HENR. de COCCEI. *ad GROTIUM loc. cit.* & LVDOVICI *diff. de limitibus defens. in bel. defens. §. 20.*



## §. VII.

*Exceptio-  
nes iniu-  
stae ex ta-  
lione, per-  
tinacia, &  
terrore.*

**M**ulto minus pro iusta causa, *interficiendi ho-*  
*stem victum*, venditari possunt *talio*, *per-*  
*tinacia* in resistendo, & *terror*. Illam enim na-  
tura non admittit praesertim in eas personas,  
quae non deliquerunt: altera non supplicium,  
sed potius *laudem* meretur: & *utilitas*, quae  
ex terrore imposterum speratur, ad ius *caedis*  
dandum non pertinet, sed, si subfit ius occi-  
dendi ex causa v. g. *delicti*, potest inter cau-  
sas esse, ob quas ius non remittatur (i).

## §. VIII.

*Seruitus  
captiuo-  
rum in bel-  
lo hypothe-  
sice iusta  
est.*

**A**t vero quoniam cum iure victoriae con-  
nexum est ius victoris, *postulandi plenam*  
*satisfactionem*, & *victum redigendi eum in statum, ne*  
*amplius nocere possit* (§. II.); hinc iuri gentium  
naturali congruit *seruitus* captiuorum in bello  
sub his saltem determinationibus, quatenus  
victor factam laesionem aliter *non vult*, vel  
*non potest* reparare, aut *securitati* suae prospici-  
cere nequit (k).

## §. IX.

(i) KEYFFEL *ad* GROT. *loc. cit.* §. 209. & 250. & VATTEL *droit des gens*. L. III. §. 143.

(k) CONF. DARIES *inst. iurisp. uniu. part. spec. Sec. III. C.*  
*III.* §. 595. MARTINI *Posit. I. N. Cap. XXVIII.* §. 698.

## §. IX.

**A**tque haec servitus est *perfecta*, quia vires *Est perfecta, obnoxia, perpetua & necessaria.* captivi *omnes & indeterminatae* in victorem herum transferuntur: *obnoxia*, quia operae captivi *pro solis alimentis* hero praestari debent: *perpetua*, quia ad nullum tempus limitata est: & *necessaria*, quia non ex pacto, sed ex *iure belli naturali* causam habet.

## §. X.

**E**x hac relatione servitutis captiuitate bel- *Effectus huius servitutis.* lica impositae *ad fines belli & victoriae* colligimus, effectum huius servitutis esse; 1) vt captus teneatur *ad operas serviles & defensionem* heri victoris, 2) vt capta persona etiam captae censeantur *res*, quas secum tulit.

## §. XI.

**A**n vero *iura incorporalia capti & serui transeant in herum. victorem?* cum HEINECCIO (1) distinguendum puto inter *iura non personalia*, & quae admittunt *vicariam operam*: & inter *iura personalissima*. Priora transeunt in dominum: posteriora autem non transeunt.

\* Ita

(1) Ad GROTIUM, L. III. C. VII. §. 4.

\* Ita Dominus acquirit jus *pignoris*, *seruitutis* &c. quod captiuo seruo competebat, & *exercitium* saltem *patriae potestatis*: nequaquam vero *matrimonii* ius transit in herum, vt captiui vxore ad *libidibem* abuti possit.

## §. XII.

*Negatur domino ius vitae & necis in seruum captiuum.*

**A**st nullatenus cum GROTTIO (m) domino victori iure naturae possumus largiri *ius vitae & necis* in seruum *captiuitate* etiam *bellica* subactum. Quum enim per victoriam cesset status *resistentiae* hostilis; euanescit quoque ius *interficiendi* seruum *pacatum* (n).

## §. XIII.

*Excipitur, si seruus delinquat aut de nouo ut hostem se gerat.*

**D**iuersa autem ratio subit, si miles in bello captus, aut seruus captiuus *delinquat*, vel de nouo ostendat animum *hostilem* erga victorem seu dominum, nec alius eum coercendi pateat modus. Tunc enim victori seu domino subnascitur ius *vitae & necis*, non quidem ex *idea potestatis bellicae*, sed ex iure *defensionis & securitatis*, quia hoc casu captiuitas aut seruitus bello capti non est medium *sufficiens* ad de-

(m) L. III. C. VII. §. 3. & C. XIV. §. 3.

(n) COCCEL. ad GROTT. l. c. §. 1. *propof. IV.*

debellandam victi resistantiam & ad securitatem victoris.

§. XIV.

**Q**uocirca praeter effectus seruitutis quoad officia serui *affirmatiua* (§. 10.) sequitur obligatio *negatiua* serui, etiam in bello capti, *non resistendi* victori seu domino. Siquidem victus hac resistantia redit ad statum *hostis*, quem vi captiuitatis deposuit, & nonnisi sub conditione saltem *tacita*, vt captus *non resistat*, victor vitam victo seruare voluit ac debuit.

*Obligatio serui victi non resistendi domino.*

§. XV.

**E**nimvero haec ratio non pertinet ad fugam serui ex captiuitate *absque vi* quaerendam, cum talis seruus nonnisi vi retineatur, & censetur esse captus *iniuria* ex iudicio *suae* ciuitatis, quod iudicium ciuitatis tuto sequitur fugiendo.

*Bene tamen ius fugiendi.*

§. XVI.

**I**nde corrui argumentum contrarium, quod dominus habeat ius vindicandi & puniendi talem seruum fugitiuum, adeoque reciproca in seruo existat obligatio.

*Respondetur obiectiioni primae.*

*obligatio non fugiendi.* Nam istud ius domini est tantummodo *externum*, aut *internum ex iudicio saltem victoris*, quo captus iure in seruitutem adferitur: non autem ex iudicio *capti*, qui potius *ex iudicio suae ciuitatis* suam seruitutem habet *pro iniusta*.

## §. XVII.

*Obiectioni  
244c.*

**V**ergent, *seruitutem constitui pacto victoris & victi, qui pro beneficio seruatae vitae ad seruitutem sese tacite obligat; igitur vi pacti captum in bello non posse fugere.* Ast ratio haec cadit in captos in bello *per deditionem*, non autem qui *sola vi* tenentur. Et sane gratis dicitur, talem captiuum se ad seruitutem obligasse, cum illa ex eo, quod capti vita seruetur; *absque promissione* per se sequatur.

## §. XVIII.

*Obiect.*

*3tia & rel.*

**N**ec obstat, quod addunt, 1) *seruum ex eadem ratione vi quoque se eripere potestati victoris domini posse*, 2) *D. Paulum (o) Onesimo seruo Philemonis iniunxisse, ut ad dominum rediret*, 3) *canones (p) seuerè prohibere, ne serui fugiant a suo domino.*

§ XIX.

(o) *Epist. ad Philemon. v. 10. sqq.*

(p) *C. 37. § 38. XVII. q. 4.*

## §. XIX.

**N**am 1) feruus *vi* potestatem domini elu- *Resoluitur.*  
dens iam *hostem* ageret, quod non po-  
test, quia in alterius potestate est ut *domini*,  
a quo ideo seruatus est, cum alias occidi pos-  
set. Si igitur statueretur, captum domino  
*vi resistere* posse; sequeretur, etiam domino  
ius esse occidendi seruum, eoque ab isto pe-  
riculo se seruandi. Aliud autem est *in fuga*,  
contra quam sufficit *custodia*. 2) Praecepta  
D. Pauli & canonum loquuntur de fuga ser-  
uorum *per additionem voluntariam talium*, non  
vero in bello captorum. Imo vero in sacris  
canonibus solum prohibetur, ne quis *praetextu*  
*religionis*, seu *libertatis christianae* doceat seruum  
contemnere dominum suum, & deserere eius  
ministerium, vnde nihil ad casum praesen-  
tem sequitur (q).

## §. XX.

---

(q) Conf. HENR. de COCCEL. *in disp. de fuga C. I. n. 27.*  
*sqq. & in comment. ad GROT. L. III. C. VII. §. 6.*  
*post DOMIN. SOTTO, L. IV. de iustitia q. 2. COVAR-*  
*RVV. L. I. var. C. II, n. 10, contra NAVARR. in man.*  
*C. XVII. n. 103.*

## §. XX.

An seruitus per captiuitatem constituta transeat ad proles in captiuitate natas?

Quaestio superest, an *seruitus ex captiuitate bellica constituta transeat ad proles in captiuitate natas*? In cuius resolutione hanc seruitutem merito discernendam esse puto a seruitute *ultronea*, quae venit *ex pacto*, vel a *necessaria*, quae nascitur *ex delicto* serui. Etiam si enim causa *pacti* aut *delicti* sit *personalis*, ac per consequens *ultra compensationem alimentationis* a domino soboli praestitae nequeat producere obligationem ad proles serui *transitoriam*; alia tamen ratio se prodit in hac specie seruitutis *necessariae*, vbi victori ante pacem fancitam summa ratione competit ius *perpetuum praecauendi*, ne soboles hostis victi in libertatem restituta ipsi *nocere* possit.

## §. XXI.

Seruitus captiuorum inter belligerantes christianos est hodie abrogata.

Caeterum in aprico est, gentes a *rigore* suarum facultatum naturalium *remittere* posse, quatenus media *leniora* securitati suae sufficere existimant; hinc *abrogata* inter belligerantes *christianos* seruitute captiuorum in bello, hodie *mitior* horum conditio benigne placuit.

## §. XXII.

## §. XXII.

**N**ihilominus capienti integra manent iura naturalia suae *indemnitate* & *securitatis*. Salvo iure exigendi lytron.  
 Atque ex hoc iure competit illi potestas captos *custodiendi*, vel cum illis *paciscendi*, ne contra gentem dimittentem militent, & ex priori iure gens capiens nanciscitur facultatem pro captiuorum redemptione exigendi. *pretium*, seu *lytron* eo fine, vt habeat *compensationem operarum* alias *vi captiuitatis* sibi debiturum.

## §. XXIII.

**Q**uod ad *quantitatem lytri* attinet, ea vel dependet ab *arbitrio* victoris, vel determinari solet *pactis* inter belligerantes, de quibus infra. Quantitas lytri vel dependet ab arbitrio, vel a pactis.

## §. XXIV.

**Q**uemadmodum iuri naturali consentaneum est, vt emolumenta ex hostibus omnia militum ceu *instrumentorum* opera adquirantur illi, cuius *auspiciis* bellum geritur (C. III. §. 23.); ita iure gentium naturali (seclusis moribus aut legibus specialibus) sicut

R. 2

ius



ius antiquum *berile*, ita hodiernum ius exigendi *lytron* ex captiuitate ad *integram gentem*, seu *summum imperantem* spectat.

## §. XXV.

*Est cessibile.*

**E**nimuero hoc ius a gente aut summo imperante posse etiam *cedi*, aut *transcribi* in alium, contra ALBERICVM GENTILEM GROTIVS (r) facile euincit ex eo, quod *incorporalia* quoque alienari nihil vetet.

## §. XXVI.

*Cum iure  
cessionarii  
exigendi  
maius pre-  
tium quam  
dedit.*

**E**t quemadmodum *lytron* surrogatum est in locum *seruitutis* (§. 22.), in cuius alienatione *commercium* valuit adeo, vt non solum ius *verdendi*, sed & ius *arbitrandi* de pretio ferui transferri potuerit; ita nulla lege naturali impeditur *cessionarius*, quin *maius pretium*, quam dedit, possit exigere a captiuo, ad quem hoc pactum inter *cedentem* & *cessionarium* non pertinet, neque ei ius inde *quaesitum* est. Quamuis ipsa *aequitatis* ratio postulet, ne *immoderatum* exigat pretium *cessionarius*.

## §. XXVII.

---

(r) L. III. C. XXI. §. 25.

## §. XXVII.

**E**t quoniam *causa lytri est captiuitas & libera* Lytron pluribus potest debe-  
*rio*; hinc colligimus, lytron respectu *plu-*  
*rium* locum habere posse adeo, vt si forte ab ri.  
 vno dimissus pretio nondum soluto iterum cap-  
 tus fit ab alio, *utrique* debeatur. Siquidem  
 hoc casu *duae diuersae* sunt capturae, adeo-  
 que *duae* liberationes, *duoque* redemptionis  
 pretia (s).

## §. XXVIII.

**C**aeterum quum milites capti in hanc for- Est soluend-  
 tunam inciderint ex causa *publica* suae ci- dum a gen-  
 uitatis; hinc ciuitas eos *ex publico* redimere te, aut  
 naturaliter tenetur. Licet enim vnusquis- summo im-  
 que ciuium & *bona & vitam* patriae debeat; ta- per ante  
 men si vnus *prae altero* damnum passus est *in* captiui.  
*ministerio publico*, id *refarciri*, quantum *possibile*  
 est, *aequitas naturalis* omnino dicitat (-).

R 3

§. XXIX.

(s) WOLF. I. G. Cap. VII. §. 955.

(t) CONF. GROT. L. III. Cap. XXI. §. 23. & seq. COCC-  
 CEI. ad GROT. loc. cit. & diff. prooem. XII. L. VII.  
 C. II. Sect. III. §. 747. HERT. comment. de lytro.

## §. XXIX.

*De iuribus  
victoriae  
quoad res  
hostis vi-  
cti.*

**E**ffectus victoriae circa *res* hostis victi inuoluit ius victoris acquirendi & redigendi in suam potestatem *res* victi, siue sint *publicae* aut principis, siue *privatae*. Quandoquidem princeps & ciues subiecti *vnam* constituunt personam *moralem*, ac proin ob *vnionem*, *sub-*  
*missionemque voluntatum ciuilem* subditi praestare tenentur facta *publica* rectorum ciuitatis (u).

## §. XXX.

*Excipitur.*

**E**xcipitur, nisi *in pactis deditiois*, aut *in pro-*  
*missione veniae speciali* priuatis *securitas* suorum bonorum sit firmata. Et profecto ex rationibus quoque *politicis* absolum foret, priuatis victis semper sua bona *omnia* adimere, quum sic nullus sit, qui *tributa* imposterum victori pendat.

## §. XXXI.

*Adquisitio  
rerum ho-  
stiliem  
tribuit do-  
minium*

**I**nterim ex natura belli & victoriae (quae non habet vim *rei iudicatae* §. 4.) eruitur, adquisitioni rerum hostilium iure *victoriae* alium

(u) *Sup. P. I. C. II. §. 38. 99.*

um effectum inhaerere intuitu *gentium pacatarum*, alium intuitu *hostis*. Quum enim gentes pacatae *de iustitia*, vel *iniustitia* alieni belli pronunciare nec velint, nec debeant; consequenter nuda belligerantium *facta* spectent, illaque vtrunque *pro iure* habeant; sequitur, intuitu *gentium extranearum* quemuis in bello publico sine modo & termino *dominum* fieri eorum, quae hosti, aut eius subditis eripit, ita, vt & ipse a gentibus pacatis in possessione talium rerum turbari non debeat, tametsi victor bellum *iniquum* gerat, aut *plus*, quam debetur, hosti eripuerit.

## §. XXXII.

Intuitu vero *hostis* adquisitio rerum hostilium victori *per se* non tribuit *dominium*, quoniam hostis victus illam acquisitionem rerum suarum habet pro *iniuria*, & ius *recuperandi* retinet, consequenter hoc modo ius *irrevocabile domini* adquisitionem haud potest intelligi *absque cessione* domini per *transactionem*, aut *pacificationem* cum hoste factam (w).

R 4

§. XXXIII.

---

(w) PUFENDORF. I. N. & G. Lib. VIII. C. VI. §. 20.

## §. XXXIII.

*Conclusio  
specialis.*

**E**x principiis §. 31. positis deducitur, ad quaestionem, *an res, quae forte ad gentem pacatam olim pertinuit, & ab hoste nostro erepta fuit, postea autem iure belli a nobis capitur, priori domino restitui debeat?* negando respondendum esse. Quandoquidem enim illa res gentis pacatae iure belli acquisita hosti meo, illeque *sub certis determinationibus dominus* illius rei factus est; ideo, si rem illam ab hoc iam *meo hoste* recipiam, non rem *pacati* capio (eius enim ius respectiue desit) sed rem *hostilem* (x),

## §. XXXIV.

*Ciuitas cui  
haec amittit  
autonomiam  
& imperium.*

**Q**uoad *ciuitatem victam* ex iure generali victoris ad suam *indemnitatem & securitatem* fuit ius acquirendi omnia iura *publica* ciuitatis. Enimuero inter haec iura publica ciuitatis eminet *autonomia & imperium*; igitur per vltimam victoriam amittitur *autonomia* ciuitatis victae, & victori acquiritur *plenissimum* in eam *imperium*.

## §. XXXV.

---

(x) GROTIUS, L. III. C. VI. §. 7.

## §. XXXV.

Quum itaque *ius determinandi media ad scopum* Victor pro  
*victoriae sufficientia* vi libertatis naturalis & arbitrio  
 ex natura victoriae relictum fit victori; facile habet im-  
 consequitur, *in arbitrio* victoris esse, an ciui- perium be-  
 tatem victam subiicere velit suo imperio *beri-* re, aut  
*li, aut ciuili, vel mixto.* ciuile,

## §. XXXVI.

Vi subiectionis ad imperium victoris *berile* Ciuitas  
 ciuitas victa constituitur *serua*, & per sub- victa fit  
 iectionem ad imperium *ciuile* ex ciuitate victa serua, aut  
 fit *provincia*, cui victor *nouam imperii formam* provincia  
 libere obtrudere potest. subiecta.

\* Quomodo ciuitas, quae iure victoriae *in seruitutem*  
*publicam*, aut formam saltem *provinciae* redacta est,  
 desinat esse ciuitas, & populus victus priori casu  
 degeneret in *magnam familiam* seu societatem *dome-*  
*sticam*, posteriori vero modo *in partem* ciuitatis vi-  
 ctoris *cum subiectione* incorporatam? iam in I. P. V.  
 Part. III. Cap. ult. §. 7. & 9. monuimus.

## §. XXXVII.

Pari ratione quoniam inter iura populi *pub-* Per victo-  
*licae* refertur *proprietas* ciuitatis & facultas viam ex  
regno non

R. 5

de

*patrimoniali fit patrimoniale.*

ea *disponendi* (y); facile conficimus, mediante victoria regnum non patrimoniale commutari in regnum *patrimoniale* ita, vt ad victorem transeat *liberum ius disponendi & alienandi* tale regnum deuictum.

\* Notetur cum HERTIO (z), rege capto capienti non adquiri imperium seu regnum, siue sit *non patrimoniale*, vtpote cuius *proprietas populo* per se salua manet, siue sit *patrimoniale*, quoniam sola victoria non est modus acquirendi (§. 4.), & praeterea hodie *seruitus ex captiuitate bellica* inter gentes saltem christianas sublata est.

### §. XXXVIII.

*Victori adquiruntur accessiones regni.*

Similiter intelligimus, victorem qui imperium occupauit, adquirere quoque 1) *accessiones*, & quidquid ad illa iura illius populi pertinet 2) *dignitatem & priuilegia* illi regno cohaerentia (a).

### §. XXXIX.

*Et iura triuata ciuitatis victae, nomina & actiones.*

Quin & *finibus* belli & victoriae naturalibus omnino consentaneum est, ut per victoriam adquirantur vniuersim iura ciuitatis victae

(y) *Syst. I. P. V. Part. I. C. IV. §. 13.*

(z) *De Tus. Reg. Sect. I. §. 16.*

(a) Vid. GROF. L. III. C. VIII. §. I.

ctae *privata*. Iamvero sub viuentate bonorum comprehenduntur *nomina & actiones*; proinsequitur, in victorem transire quoque *nomina & actiones*, quae ciuitati victae dantur eo effectu, ut 1) victor ea *exigere* & ad soluendum *compellere* debitores, qui soluendo liberantur: sed & 2) *remittere* possit debitoribus id, quod ciuitati *bello subactae* debent.

Ita ALEXANDER M. obligationem centum talentorum Thessalis debitoribus Thebanorum iure victoriae donasse legitur notante GROTIUS L. III. C. VIII. §. 4. n. 2., simulque eadem ratione nititur instrumentum P. O. Art. IV. §. 47. & I. P. M. §. 37.

§. XL.

Contrario eadem iustitia naturalis exigit, *Victor succedit in nomina passiva.* ut, si populus victus alii ciuitati debet; victor, qui in *omne ius* succedit, etiam *debita ciuitatis soluere teneatur*. Quum enim victor *territorium*, cui *aes alienum* inhaeret, eiusque *aerarium & iura* adquirat; necessario illud transit *cum onere & commodo*.

§. XLI.

Caeterum haec dicta intelligi debent *Iura victoriae vel absolutae,* de iuribus victoriae *absolutae*, & ex regulis *absolutae*.



*vel restri-*  
*ctae.* regulis iur<sup>is</sup> gentium naturalis *strictae* talis. Aliud enim tenendum ex regulis *clementiae* & *generositatis* (b) & de victoria *restricta* *actionibus*, ex quibus omnino fieri potest, ut victor vel regnum adquirat tantummodo ut est *in rege*, seu qua *non patrimoniale*, aut suam *autonomiam* seu ius utendi *propriis* legibus, & *priorem formam* regiminis ciuitati victae relinquat, ac iuribus victoriae *seuerioribus* renuntiet.

## §. XLII.

*Ius postli-*  
*minii.*

**A**t vero quoniam actus belli & victoriae ab hoste gesti a nobis habentur pro *iniuria*, & summa potestas subditos suos eorūque iura contra vim externam hostium *defendere* tenetur; hinc ratione naturali locum in bello habet ius *postliminii*, quod consistit in eo, ut *personae* & *res ab hoste captae*, & *in potestatem gentis suae venientes in statum pristinum restituantur*.

\* Equidem HERTIVS (c) obseruat, ius postliminii ad ius gentium *interveniens*, seu *relatiuum* minus recte referri, sed esse *proprium* ciuitatum, quod in *illis summi imperantes secundum rationem naturalem indulgent ciuibus suis*. Verum salua res est. Postliminium e-

---

(b) GROTIUS, L. III. C. XV.

(c) AD PUFENDORF. I. N. & G. Lib. VIII. C. VI. §. 25.

nim supponit *res & personas* ab hoste iure belli captas in potestatem gentis *suae* rediisse : ius belli autem est ius gentis competens aduersus gentes *alias*, ideoque ad iuris gentium *socialis* tractationem pertinet (d).

## §. XLIII.

**O**biectum itaque postliminii duplex est, *per-* Obiectum eius sunt  
*sonae & res.* *Personae reverti,* & *res re-* personae &  
*cipi* ex curatori legum *Romanarum* distinctio- res.  
 ne dicuntur.

## §. XLIV.

**D**e iure postliminii quoad *personas* sequentes Quatenus  
 iure naturali tenentur propositiones: 1) personae  
 Iure postliminii gaudent *personae liberae*, ab postliminio  
 hoste captae, si ad fines *suae* gentis redierint: gaudeant.  
 nec interest, *an* 2) *vi bellica* receptae, sive  
*dolo* aufugerint, sive ab hostibus *dimissae* sint.  
 Quin & 3) Iure postliminii non destituuntur  
 illi, qui *per alienationem* ad medios iure *commer-*  
*cii* pervenerunt. Quia medius personam cap-  
 tam non potest acquirere cum alia *qualitate &*  
*iure*, quam *hostis* habet. 4) Postliminium ob-  
 tinet

---

(d) KEUFFEL *ad* GROT. *exercit. IX. §. 228. in not.*

tinet etiam, si captiuus ab hoste pervenerit ad ciuitatem belli *sociam*, quæ vi *societatis bellicae* captiuitatem hostilem *pro iniuria* reputat.

§. XLV.

*Et quæ de-  
stituantur.*

**C**ontra eodem iure gentium naturali carent postliminio 1) qui *nostra voluntate* hosti se dediderunt, 2) qui facta *promissione de redeundo*, seque in loco captiuitatis sistendo ad tempus *dimissi* fuere, aut tempore *induciarum* redierunt. Quia *fides* pactiois hosti est seruanda. 3) *Transfugae*, utpote qui sunt in *hostium* numero, & restitutione in statum pristinum indigni. Et 4) qui redeunt in fines gentium *amicarum* seu *neutralium*. Cum enim hae factum utriusque belligerantis *pro iure* accipiant, captiuitatem bellicam improbare nequeunt.

§. XLVI.

*Effectus  
iuris post-  
liminii  
quoad ple-  
nam recu-  
perationem  
rerum.*

**P**orro ex notione iuris *postliminii* patet, effectum eius esse, ut libero homini, postquam ex captiuitate bellica *ad suos* redit, restituantur *res* omnes, quas habuerat *in sua ciuitate* & apud populos *pacatos*, siue *corporales*, siue *incorporales*, i. e., *actiones & iura ciuilia*, nisi vel *res victori traditae*, vel nomina capti capiens

piens durante captiuitate exegerit (e).

§. XLVII.

Quandoquidem vero captiuus iure postliminii debet quidem seruari *indemnis*, non autem fieri *locupletior* cum damno alterius; sequitur, postliminio aequè restitui *iura & actiones in redeuntem*, adeo, ut a suis creditoribus seu *eiusdem*, seu *pacatae* ciuitatis, omnino conueniri possit.

*Et restitue-  
tionem ini-  
uriam passi-  
uorum.*

§. XLVIII.

Si de postliminio *rerum* in bello fermo sit; illud absque dubio spectat ad res *immobiles*, uti *agros, insulas, territoria*, & iura rebus soli cohaerentia veluti *seruitutes*, eumque effectum habet, ut *pristinæ qualitates* restituantur, & consequenter res illae receptae iterum fiant *sacrae, sanctae & religiosae*.

*Postlimi-  
nium verò  
immobili-  
um.*

§. XLIX.

At de rebus *mobilibus* dissentiunt. Sunt enim, qui cum GROTIUS (f) harum postlimi-

*De rebus  
mobilibus  
a Grotio  
negatur.*

(e) COCCEL. *diff. proem. XII. Lib. VII. Cap. III. §. 763.*

(f) L. III. C. IX. §. 14. & 15., *quem sequitur BYNCKERSH.*

minium *in regula* negant, exceptis illis, quæ *in bello usum* habent, nec *turpiter amissa* sunt, ex ratione, quia 1) huiusmodi res in *praeda* sunt, aut cedunt primo *occupanti*. 2) quod restitutio dominis facienda foret mater litium & discordiarum *ob difficultatem probationis*; in cuius *dominio* res antea fuerint.

## §. LI.

*Sed verius  
affirma-  
tur.*

**S**ed verius est, res *mobilis* quoque *uniuersali* gentium iure *pristinis dominis* EX POSTLIMINIO restitui; siquidem ratio naturalis iuris postliminii (§. 42.) æque in rebus *mobilibus* ac *immobilibus* obtinet. Et sane ratio GROTII in contrarium depromta est non nisi ex *voluntariis* iuris Romani placitis (g), quæ ad animandos in praedam milites speciatim sancita fuerunt (h).

## §. LI.

---

*quæst. iur. publ. L. I. C. V. qui simul obseruat, iuris Romani inter res mobiles differentias moribus gentium obsoleuisse adeo, ut nunc mobilia sine distinctione omnia in praeda sint sine ullo iure postliminii.*

(g) L. 28. ff. de capt. & postlim. reuers.

(h) COECCI, in diff. de postl. in pace & amnestia scilicet II. §. 5. & HERT. PAROEM. Iur. Germ. L. I. 86. §. 2.

## §. LI.

**T**andem quum inter res quoque referantur *serui & ancillae*; manifestum fit, hos quoque *postliminio recipi*, si *actu* in potestatem suae gentis reuertantur, & pristino restituendos esse domino, etsi ab hoste *manumissi*, a mediis, vel ciuibus nostris *redempti*, vel *transfugae* sint (i).

*Serui & ancillae etiam iure postliminii recuperantur.*

## §. LII.

**A**t quemadmodum ad postliminium requiritur, 1) vt res capta in *potestate & custodia* hostis sit constituta, & consequenter in eius *dominium* transferit; 2) vt in ciuitate *sua*, aut apud *socios* belli recepta sit; ita cessat 1) postliminium, si res, antequam *in praesidia* hostis deducatur, recipitur, quia dominum nondum mutauit, 2) si *a pyratibus*, aut *latronibus* nobis erepta sit, quia ius domini non mutatur, 3) si ad *medios* peruenerit, ob rationem (§. 45. n. 4.) allegatam.

*In quibus rebus cessat postliminium.*

## §. LIII.

---

(i) GROT. L. III. C. IX. §. II. & seq.

Schrodt I. G.

§

## §. LIII.

*De postliminio ciuitatum.*

**Q**uin & ob regulam naturalem, quod occupatio ciuitatis nostrae ab hoste facta habeatur a nobis *pro iniuria*, & *sola victoria* non sufficiat ad acquirendum ius *irreuocabile* imperii in ciuitatem victam, nisi *pactio cum imperante victo* desuper intercefferit; conficimus, ius postliminii prodesse integris etiam *populis*, aut *ciuitatibus*, ita, vt prior *autonomia*, aut *imperium* ciuitatis restituatur, si ciuitas *vi oppressa*, re nondum composita, sese *in pristinam libertatem* vindicet, vel a priore imperante, aut ope sociorum (k) potestate hostis eximatur. Excipe tamen, nisi talis ciuitas per *seditionem*, aut *deditionem voluntariam* hosti antecederet factam, se potius *poena*, quam hoc beneficio dignam reddiderit (l).

## §. LIV.

*De cessante hodie inter gentes christianas postliminio hominum, non rerum & ciuitatum.*

**C**aeterum hodie inter gentes christianas uti *seruitus*, ita *confectarium postliminium hominum* in bello euanuit (m). At *postliminium rerum & ciuitatum* in bellis omnimodo perdurare ratio *postliminii naturalis*, & *communis gentium praxis* satis ostendunt.

(k) KEUFFEL ad GROTIUM, exercit. IX. §. 237

(l) Conf. SAMUEL de COCCEL. diff. prooem. XII. Lib. VII. c. II. §. 764. n. 1. seq. (m) GROTIUM: loc. cit. §. 19.

# CAPVT V.

## DE PACTIS BELLICIS.

### §. I.

**I**ura hostis in hostem & victoriae limitantur *De fide p-*  
*actis inter*  
*hostes.*  
*per fidem, pangendo, inter hostes interpositam,*  
 quae necessario seruari debet 1) *ex natura pa-*  
*cti,* quod continet *renunciationem* iuris sui ab  
 hoste *acceptatam,* 2) *ex communiione naturae hu-*  
*manae,* quae statu hostili non tollitur, 3) *ex*  
*necessitate medi ad securitatem & pacem gentium,*  
 quae *absque fide inter hostes* nunquam obtineri  
 posset (n).

### §. II.

**P**acta bellica vocantur, quae *inter belligera*  
*nt.* *Notio &*  
*diuisio pa-*  
*ctorum bel-*  
*licorum in*  
*publica &*  
*privata.*  
*ntes* *fanciuntur permanente bello, ita nimirum,*  
 ut *per ea bellum non finiatur.* Haec *publica* sunt,  
 aut *privata.* Priora *circa respublicae atque sum-*  
 S 2 mi

(n) Conf. *post* GROTIUS, L. III, Cap. XIX. §. I. JOAN. JO-  
 ACH. RANGONIS *diff. de fide bellica,* Lugd. Batav.  
 1694. *usc. Restech.* 1698. & *Halmst.* 1746.



*mi imperii iura versantur*, & non nisi a *summo imperante* aut cui is hoc negotii mandato siue *expresso*, siue *ta. ito* ob hypothesin *necessitatis*, concedit, i. e., a belliducibus aliisque minoribus potestatibus iniri queunt. Posteriora *privatorum* negotia respiciunt, atque adeo ea hostis cum *subditis* hostis, citra praeiudicium tamen summae potestatis, componere potest (o).

## §. III.

*Induciae sunt uniuersales uel particulares.* **I**nter pacta bellica eminent *induciae*, quae sunt *conuentio*, per quam, manente bello, ad *tempus bellicis actibus abstinendum*. Suntque vel *uniuersales* & illimitatae, vel *particulares* & limitatae, prouti vis aut *omnis* & *ubique*, aut saltem quoad *certos actus*, siue *loca* territorii hostilis suspenditur.

## §. IV.

*Bellicae & pacificae.* **P**orro induciae diuiduntur in *bellicas* & *pacificas*. *Bellicae* sunt, ubi cessat certamen manente tamen adparatu bellico. *Pacificae*

---

(o) Conf. L. B. de ICKSTATT *elem. Jur. Gent. L. IV. C. XII. §. 3. & 4.*

*ficae* sunt, quando adparatus belli aequae ac in pace dissolvitur *absque sublata causa* belli\*, quae speciatim nuncupantur *armistitium*.

\* Notetur cum GROTIUS & COCCIO ad GROTIUM L. III. C. XXI. §. 1. inducias potissimum *bellicas* ad statum belli, non pacis referri.

## §. V.

Inducias *pacificas* contrahere possunt tantummodo summae potestates: *bellicas* vero praesertim *particulares* inire queunt & duces belli, idque vi officii & administrationis belli *suprema* autoritate ipsis commissae (p).

*Quae personae inducias contrahere possunt.*

## §. VI.

Obligatio induciarum, qua *pactitia*, intuitu *contrahentium* incipit a momento *pactionis* perfectae: respectu vero *subditorum*, quia est *legalis*, a die *publicationis*. Inde sequitur, si quid *hostile* interea post inducias *subditi ignorantes* fecerint, ex eo *violatio* induciarum nec *p*-*ris*, nec summae potestati possit imputari, salva tamen obligatione summae potestatis, *restituendi occupata*, aut *res captas*, seu *reparandi*

S 3 dam-

(p) GROTIUS L. III. C. XXII. §. 8.

*damnum* ex mora publicandi inducias peculiariter datum.

\* Hinc si ad ditiones diffitas notitia induciarum cito perferri nequit, solet praefigi *terminus*, a quo induciae vim obligandi nancisci debeant (q).

### §. VII.

*Inductae  
quomodo  
interpre-  
tandae.*

**I**nterpretatio induciarum colligi debet ex *substrata materia & fine* induciarum, qui est *securitas ab actibus hostilibus*. Hinc si triginta dierum pactae sint induciae; dies, non naturales, sed *ciuites* 24. horarum intelligendi sunt, quia *cluserius* fieret *finis* induciarum, si hostes ab usu armorum *de nocte* non desisterent (r).

### §. VIII.

*Actus per  
inducias il-  
liciti.*

**P**orro ex eadem regula concludimus, ut durantibus induciis suspendi debeant omnes actus *bellici & hostiles* tum in *personas*, tum in *res hostiles*, consequenter non liceat hostes *inuadere, occidere, oppugnare castra, corruptis bo-*  
*stium*

(q) Conf. VATTEL *droit des gens*. Liv. III. chap. XVI. §. 239.

(r) Conf. post GROTIUM. L. II. C. XVI. §. 5. DARIUS *Observ. J. N. Sec. & Gent.* XXII. §. 17. *Schol.*

*stium praesidiis loca eorum, occupare, urbes spoliare, praedas cingere, aut ab hoste capta postliminio recuperare.*

## §. IX.

**E**x diuerso autem perspicuum fit, ut cum <sup>Abus liciti.</sup> induciis non pugnent illi actus, qui in statu *pacifico* gentibus liciti sunt, uti *ire & redire in terras hostiles, intra suos fines cum exercitu interius recedere, moenia reparare, munitiones novas efficere, militem conscribere, loca ab hoste derelicta (non autem incustodita) occupare &c.(s).*

## §. X.

**A**ttamen cum GROTIUS (t) tenendum quos- <sup>Exceptio.</sup> dam actus, etiam *defensiuos*, per inducias esse *illicitos* ob *specialem conuentionis naturam*, velut, si tantum *sepeliendorum hominum* causa datae sint induciae, nihil erit immutandum, si conuentae sint induciae *in oppugnanda urbe*,  
S 4 nec

(s) Vattel *droit. des gens. Liv. III. chap. 18. §. 245. & seqq*

(t) L. III §. XXI. §. 10., cui accedit GUNDLING *J. N. ac G. Cap. XXXVI. §. 135. & KEVFFEL. exercit. GROT. XII. ad loc. cit. contra PUFENDORF. J. N. & G. L. VIII. Cap. VII. §. 10.*

nec reficere vallum tormentis hostis iam *labefactatum*, nec *auxilia & commeatus* laboranti ciuitati mittere integrum erit. Quum enim tales induciæ alteri partium profint; non debent ad *deteriorem* causam eius, qui dedit, detorqueri, & consequenter ius *defendendi* æqualiter est circumscribendum cum iure *oppugnandi*, adeo, ut sicuti ius oppugnandi, ita & *defendendi* post *finitas* demum inducias incipiat.

## §. XI.

*Modus finiendi inducias ex lapsu temporis.*

**F**iniuntur induciæ I. *finito tempore* induciis adiecto. Enimuero quoad computationem huius temporis distinguimus inter tempus *continuum*, ut in *centum dies*, & *cum designatione termini* v. g. vsque ad *calendas Martias*. In priori computari debet tempus *de momento in momentum*; in altero genere dies, aut mensis, aut annus, ad quem dictum est, duraturas inducias, *exclusus* intelligitur. At vero, a quo die mensura aliqua temporis incipere dicitur, eundem intra mensuram esse contra GROTIVM (u) tuto pronunciamus (w).

## §. XII.

(u) *loc. cit.* §. 4. n. 3.

(w) COCCEI. *diff. proem.* XII. Lib. VII. C. VI. Sect. III, §. 811.

## §. XII.

II. **F**iniuntur induciae *perfidia*, seu *fide* indu- Ex perfid-  
 ciarum a parte altera *rupta*, & quidem dia.  
 ita, ut in arbitrio laesi sit, iure suo, venien-  
 di ad arma, uti vel non (x), nisi *poena* in ca-  
 sum violationis adiecta fuerit, & ea solvatur.  
 Haec enim solutio eum scopum habet, vt  
 caetera *salua* maneant.

## §. XIII.

**E**nimvero factum priuati qua tale non po- Non suffi-  
 test haberi pro facto gentis (y); hinc fa- est priua-  
 cta contra inducias *priuata* eas non rumpunt, ta.  
 nisi *publicus* actus accedat, puta *imperii*, aut *ra-*  
*tionationis*. Atque ex hoc sequitur priuatum  
 puniri debere, & res captas *restituendas* esse,  
 quum alias violatio induciarum *priuata aucto-*  
*ritate publica* tacite rati haberetur (z).

## §. XIV.

**C**aeterum quum *PER INDUCIAS non aboleatur* Non requi-  
*status belli*; evidens est finitis induciis ritur noua  
 S 5 bellum indictio ad  
contirru-  
andum  
bellum n.

(x) P. II. C. 17. §. ult.

(y) P. I. C. II. §. 28.

(z) *Ibid.* §. 34.

bellum continuari posse *absque noua indictione*, adeo, vt personae, quae durantibus induciis ad hostem peruenerunt, & vi maiori impediuntur, quo minus ante finitas inducias recederent, tanquam *hostes* capi possint, nisi aliud ex speciali *pactō*, aut *humanitate* placuerit (a).

## §. XV.

*De pactis  
commeatus.*

**P**orro actus bellicos, manente statu belli, fiunt *pacta* seu *litterae commeatus*, quibus *liber commeatus* seu facultas secure hinc & inde eundi inter belligerantes conceditur.

\* Synonyma sunt, *fides publica*, *securitas*, *litterae de conductu*, *saluus conductus*, *litterae salui passus*, *litterae tui itineris*, *certificatio*, *litterae immunitatis*, *epistola assertoria* &c. Germ. vocantur *Passporten*, cuius vocabuli origo repetitur a ritu manumissionis seruorum apud veteres Francos, qui litteris seruorum manumissorii adscribere sunt soliti: *eandem pergat partem, quamcunque volens cananise elegerit, habensque portas apertas* (b).

## §. XVI.

*Horum effectus & interpretatio.*

**I**nterpretatio pactorum, seu litterarum commeatus facienda est ex *sine* commeatus & iuxta

(a) Conf. JOAN. STRAVCH *de induciis bellicis*. SCHVYZ-FLEISCHII *diss. de induciis*. Lips. A. 1668.

(b) HERT. *diss. de litteris commeatus pro pace* §. 2.

iuxta regulam: *ne concessio sit inutilis aut sequatur absurdum.* Inde I. libertate itineris, seu *eundi* concessa etiam *reditus* concessus videtur c): secus, si tantum facultas *abeundi*, vel *trans-eundi* permessa fuit. Tunc enim *reditus* *novus actus* foret, *novusque transitus* \*.

\* *Res illustretur exemplo PETRI BELLINII P. IX. Tit. 1. n. 21. v. g. si dux belli concedat hosti securitatem, veniendi in suum præsidium, & ibi commorandi per triduum; absurdum esset, si lapsa triduo tuto abire non patretur: at si concedat, ut eat Romam, aut ut eat in Galliam; ipsa ipsis consumitur actus, nec a verbis est recedendum.*

## §. XVII.

II. **C**ui securitas concessa *negotii* cuiusdam *Quoad* causa, concessa intelligitur, donec *comprehen-* negotium fuerit *finis*. III. *Personis* data se- *sa in lit-* curitas ad *res* ex earum *conditione* ad iter affu- *mcatus.* mi solitas (vulgo *Bagasche*), atque ad unum alterumque *famulum*, sine quo ire *digniori* indecorum foret, transit, etiamsi nihil de ea re dictum sit. IV. Si *commeatus* *rebus* datus, eadem *per alium*, quam cuius sunt, in locum de-

---

(c) GROTIUS. L. III. CXXI § 16.



destinatum transferri possunt, quia perinde est, *per quem* res deferantur (d).

### §. XVIII.

*Quinam  
non com-  
prehendun-  
tur in com-  
munitate.*

**C**ontra ob disparem rationem cum GROTIŒ (e) colligimus, 1) uxorem mariti, & filium patris securitate non defendi, eo quod morari cum familia, peregrinari cum ea non soleamus. Et multo minus 2) expresso *comitum nomine* intelligendos esse eos, quorum causa magis est *odiosa*, quam ipsius, cui prospicitur, quales sunt *pyratae, latrones, transfugae, desertores*, quoniam *commeantibus securitas* saltem promissa est, non *impunitas criminum* (f).

### §. XIX.

*Commeatus militibus concessus*

**A**t illud in controuersia est, *an commeatus militibus concessus non ad medios tantum, sed & ad summos duces porrigi debeat?* Ratio enim dubitandi est, quia 1) *commeatus*, utpote *exceptio* a iure hostis in hostem, *strictè* est interpretandus, 2) in sensu *strictissimo* per *milites nec belli duces* intelliguntur, nec *turbau-*

(d) GROTI. *Loc. cit.* §. 17. *sqq.*

(e) *Loc. cit.* §. 17.

(f) GROTI. *l. c.* §. 19. *et ibid.* COCCEL. *in nott.*

*nautica*, 3) quia res *periculo* non caret, si bel-  
litudes in regiones & urbes nostras recipi-  
antur, ut & occasionem & vires nostras spe-  
culari possint (g).

### §. XX.

Verum hiſce validior manet ſententia GRO- Pertinet  
etiam ad  
ſummos  
duces.  
TII (h) affirmatiua, cum ratione, quod  
commeatus beneficium neque *tertio noxium*,  
neque *anti graue* inuoluat, atque ideo intra  
verborum proprietatem (quae vox *militis* ge-  
neralis eſt, & omnes ſpecies continet *mili-  
tantium*) *laxam* magis, quam ſtrictam interpre-  
tationem admittat.

### §. XXI.

Caeterum commeatus finitur 1) *elapſo tem-* Quomodo  
finitur  
commeat-  
us?  
*pore* in pactis expreſſo, 2) *finito negotio* ob  
quod ſecuritas accepta fuit, 3) *poenitentia* &  
*reuocatione* concedentis, ſi res *integra* eſt, &  
alteri rite denunciatur, 4) *renunciatione* eius,  
cui conceſſa eſt ſecuritas, 5) *violatis* comme-  
atus *verbis* & *conditionibus*, 6) *mortuo* eo, cui  
fe-

(g) HEINEC. *ad* GROT. *loc. cit.* §. 15.

(h) *Loc. mox cit.*

securitas data est, non autem 7) *morte concedentis*, quia vi *imperii* datae sunt litterae, ex quibus actibus etiam successor obligatur (I).

## §. XXII.

*De litteris  
saluae gu-  
ardiae.*

**C**ommeatui affines sunt *litterae saluae guardiae* seu protectoria, quibus certis personis rebusque immunitas *ab hostilitatibus* conceditur. Si ergo *a vi maiore* v. g. per *praedones*, non obstante salua guardia, vis inferatur, ideo concedentem non teneri expeditum est.

## §. XXIII.

*De pactis  
dedititiis  
& capitulationibus  
bellicis.*

**S**equuntur pacta *dedititionis*, quae duplicia sunt, nempe aut *sine modo* celebrantur; & vocantur pacta *dedititia* per *excellentiam* talia, aut *Gnade und Ungnade*: aut *cum modo* celebrantur; & vocantur *capitulationes* militum, urbium, aut prouinciarum.

## §. XXIV.

*Sunt vel  
generales  
vel parti-  
culares.*

**Q**uamobrem capitulationes diuidi solent in *generales* & *particulares*. *Illae* sunt, quando

---

(i) Conf. post GROT. *loc. cit.* TEXTOR *diff. de litteris commeatibus*, COCCEL. *diff. proem. XII. L. VII. C. VI. Sect. III. §. 821.*

do de *multis urbibus* simul, vel de *integra prouincia* inter belligerantes conuenitur. *Hae* dicuntur, quae deditiōnem *unius*, vel *alterius urbis*, aut *fortalitatis* concernunt.

## §. XXV.

**P**orro capitulationes sunt vel *honorabiles*, vel *minus honorabiles*, prouti *fauorabilibus*, aut *honestis* pro parte victa clausulis & conditionibus v. g. quoad *securitatem incolarum*, *conseruationem religionis*, *libertatum* & *privilegiorum*, quoad *liberum discessum* & *commeatum* militis praefidiarii cum *ordinariis* honorum militarium *signis* sunt munitae, aut iis destitutae, quibus omnino standum.

## §. XXVI.

**A**n vero capitulationes hosti ab hoste *concedendae*, aut *denegandae* sint, illud ex *scopo* belli, seu ex iuribus ad propriam *conseruationem* & *securitatem*, ex *conditione* hostis, & ex officii *humanitatis* inter belligerantes subsistentibus aestimari debet, ac per consequens causae, *denegandi* capitulationem hosti, hac regula constant: *denegatio capitulationis bellicae iusta est, quotiescunque id rationes propriae incolumitatis*

*Honorabiles & minus honorabiles.*

*Regulae de denegatione capitulationis bellicae.*

*tatis & securitatis, vel promouendi hostem ad pacem, aut poena perfidiae antecedentis exposcunt (k).*

§. XXVII.

*De pactis redemptio- nis aut permutati- onis capti- uorum & lytri.*

**T**andem pactis bellicis accensentur pacta de *redimendis*, aut *permutandis* vtrunque *capti- uis*, cuius species est pactum de *lytro*, quo conuenitur de pretio pro reddendis captiuis soluendo.

§. XXVIII.

*Non re- scinduntur ob laesio- nem enor- mem.*

**Q**uantitas lytri conuentionalis non deter- minatur tam ex *quantitate* bonorum, quam ex *consensu* partium. Quare hoc pactum rescindi nequit *ob laesionem enormem*, eo quod *captus intelligatur locupletior, quam credebatur*, nisi *dolus* intercesserit. Hoc enim casu separa- tim agi potest *ad reparandam ex dolo laesionem* (l).

§. XXIX.

*Pacta lytri sunt vel publica, vel priua- ta.*

**H**ae pactiones *lytri* possunt esse non tan- tum *publicae*, quatenus *auctoritate publica* vtrius-

(k) Conf. JAC. FRIDER. LVDOUICI *diff. de capitulationibus bellicis*, Halae 1742.

(l) GROTIUS & COCCETI, *ad GROTIUM*, L. III. C. XXI. §. 27.

vtriusque hostis ante bellum, vel hoc durante, fanciuntur: sed & *priuatae*, quatenus captiui priuati suam redemptionem pro certo lytro ex bonis suis privatis ab hoste sibi stipulantur.

## §. XXX.

Quaeritur proinde, *an pretium conuentum. & De lytro ante mortem non solum non soluitur ab haerede promittentis debeat?* Idque absque dubio affirmandum, quoniam iure naturali obligatio *ex fide ab haerede promittentis praestando.* data transit ad haeredes, modo promittens *re liber, aut dimissus* (nam *mora abeundi, aut recipiendi* imputatur remanenti, aut hosti) fuerit. Tunc enim capiens suum factum, pro quo lytron promissum erat, praestitit. ac per consequens nascitur obligatio reciproca lytron *in vicem libertatis acceptae* soluendi (m).

## §. XXXI.

Quemadmodum *factum vicem pretii* redempti- *Pactum capientis cum captiuo sub conditione si alius dimissus fuerit.* onis subire potest; ita valet etiam pactum capientis cum captiuo, quo hic promittit, *curaturum se, ut loco sui a sua ciuitate dimittatur alius.*

## §. XXXII.

(m) L. III. C. XXI. §. 29.

## XXXII.

*Infert obligationem redcundi in captiuitatem alio non dimisso.*

**H**isce itaque positis, dimissio captiui fit sub *conditione*, si alter *dimissus* fuerit. Quapropter *non subsecuta* alterius liberatione (vtpote quia capiens hanc dare *reluctatur*, vel quia alter dimittendus factum *morte* praeuenit) deficit *conditio*, sub qua capiens dimissus fuit, ac per consequens vtroque casu dimissus *in captiuitatem redire* tenetur.

\* Dicitur: *utroque casu*, idque contra GROTIUM (n) & HERTIUM (o), qui in posteriori casu (si alter dimittendus factum morte praeuenit) affirmant quidem *dimissum obligari ad praestandam eius, quod praestare non potest, aestimationem, ne fiat locupletior cum alterius damno*; sed obligationem *reddendi se custodiae* negant, quia *neque id conuentum, neque tacite altum intelligi patitur fauor libertatis*. Verum conuentione *expressa* non opus est, vbi *res ipsa* loquitur, quid obtinere debeat. Et certe *fauor libertatis* non potest valere *ad ius suum alteri inuito auferendum* (p).

## §. XXXIII.

*Nisi alius post dimissionem moriatur.*

**A**t vero aliud obtinet, si ex pacto *reciprocè* dimittendus *post dimissionem moriatur*, quia hoc

(n) *Loc cit.* §. 30.

(o) *Diff. de lytro. Sect. II.* §. 31.

(p) KEVFFEL *exercit. GROTI.* XII. §. 324.

hoc casu reuera liberatur, & sic fides data impleta fuit. Mors igitur dimissi non magis nocet alteri, quam si ille *in patria* mortuus fuisset.

## §. XXXIV.

**S**imiliter in pactis bellicis saepius continetur promissiones captiuorum *de redeundo in* De promissionibus captiuorum redeundi in carcerem carcerem, nec non militum, qui se abdicarunt facultate *pugnandi* aduersus victorem, & *sub hac conditione* libertati restituti. Atque hac promissiones etiam *priuatae* omnimodo valent, quia captus utitur iure *necessariae defensionis*, & *uitando maius malum* suam conditionem aperte facit *meliozem*. Neque per id praeiudicium fit *patriae*, cui is, qui captus est, ni liberetur, iam *peruisse* censendus est (q).

## §. XXXV.

**E**t quoniam *ipsa ciuitas captorum in bello non* Debent etiam impleri a gente promittentium. vult eos potius *perire*, quam quidquam suis *hostibus*, cum in eorum *potestatem* venerit, pacto *obligare* (r), atque ideo hoc pactum naturaliter firmatur *publica* voluntate gentis; manifesto

T 2

con-

(q) GROTIUS. L. III. C. XXIII. §. 6. &amp; seq.

(r) GRONOV. ad GROTIUS. loc. cit. §. 5. n. 3.



consequitur, vt ipsa *ciuitas* suos subditos ad *implendam* fidem hosti datam compellere possit. & debeat, alioqui si cogere nolit, causam *suum* facit, & *noua* nascitur *belli causa* (s).

## §. XXXVI.

*De pactis  
lytri in-  
cendiarii.*

**P**ari ratione colligitur, quod in casu *necessi-*  
*tatis*, vbi hostis minatur *incerdia* praediis, aliaque *duriora* belli mala, & verus imperans id *impedire* non potest; subditi iure *necessariae defensionis*, & ex *praesumpta voluntate* ipsius imperantis *partem* bonorum, vt reliqua conseruent, dare, vel promittere hosti propitio iure possint. Atque hinc valent pacta priuatorum *de lytro incendiario* cum hoste inita.

## §. XXXVII.

*An cessan-  
se vi obli-  
gare desi-  
nant?*


**E**x hac itaque ratione, quod haec pacta priuata subditorum cum hoste valeant ex iure *necessariae defensionis*, ipsaque *praesumpta voluntate summi imperantis*, qui in talibus an-  
gu-

---

(s) COCCEI. ad GROTI. loc. cit. §. 10., *quamuis hic inter bellum solenne & minus solenne perperam distinguat.*

gustis naturaliter consentit in omnia media *efficaciora* succurrendi periclitanti reipublicae, & euitandi excidium suae ciuitatis, ac praeterea omnia pacta *metu*, aut *necessitate* inita naturaliter subsistant *cessante* etiam *metu*, aut *necessitate*; tuto concludimus, obligationem soluendi tales collectas nondum praestitas, discussa quoque violentia, quae transactioni isti causam dedit, haud euanescere (t).

\* Pacta quae hostes inter se flagrante bello celebrant, vel maxime exigunt, & accipere solent cautiones. Inde, quae de diuersa cautionis specie, singillatim de *obsidibus*, P. II. C. vlt. exposita, huc applicanda sunt.



T 3

CAPVT

(t) Conf. GLAFFEY I. G. L. III. C. V. §. 96. & pro contraria parte VOIGT in *diss. de lytro* pag 36. & L. B. de ICKSTATT *Elem. I. G. L. IV. C. XII. §. 21.*

## CAPVT VI.

DE GENTIBVS IN BELLO ME-  
DIIS ET IVRE IN AVXILIATO.  
RES BELLI.

## §. I.

*Connexio.* **E**xpositis iuribus *hostis* in *hostem* & *victoriae* bellicis, transgredimur ad *officia neutralium* & *iura belligerantium in eos*, quae per se quidem ad *iura pacis*, non belli pertinent: sed quia *belli occasione* se exerunt; recte hoc loco euoluuntur.

## §. II.

*Quid gens neutralis, & neutralitas.* **N**omine gentis in bello *pacatae*, *mediae* feu *neutralis* designamus illam, quae bello alieno se non immiscet, & a fauore partium vacuam se ostendit. Status proinde, quo gens tali modo se gerit, *neutralitas* appellatur.

## §. III.

*Neutralitas cuiuslibet* **Q**uoniam aequalitas & libertas gentium naturalis sita est in arbitrio singularum gentium

tiū disponendi de suis actionibus & mediis salutis <sup>genti est li-</sup> publicae (u); facile patet cuilibet genti vi <sup>berta.</sup> libertatis naturalis esse permittendum, vt in bello aliarum gentium *neutras* partes sequatur. Ideoque singulis gentibus *natura* competit ius *neutralitatis*, ac per consequens summa *violatio aequalitatis* & libertatis naturalis, & *iniuria* est, si gentes belligerantes *necessitatem* imponere velint genti *pacatae*, vt pro alterutra parte se *declaret*, eoque *media* esse desinat, nisi obligatio perfecta, *ex foedere* adquisita, speciale ius ad *reinuendam neutralitatem* largiatur.

## §. IV.

**E**x notione neutralitatis (§. 2.) prono al- <sup>Officia</sup> ueo fluunt *officia neutralium erga partes bel-* <sup>neutrali-</sup> <sup>um gene-</sup> <sup>ralia.</sup> *lun gerentes*, quae sequentibus regulis definiuntur: I) *vt gens media siue neutralis nihil faciat, quo altera pars belligerantium fit VAII- DIOR*, II) *vt uni parti belligerantium prae altera FAVERE non debeat*, III) *vt utriusque gentis belligerantis factum pro IVRE habeat.*

T 4

§. V.

(u) P. I. C. I. §. 9.

## §. V.

*Et specialiter in nouo articulo a. quando alteram gentem & exhibendis officiis in iustitiae neutralitatis.*

**P**er regulam I. & II. gens media obligatur, vt alterutram gentem belligerantem *non adiunet*, neque vni parti concedat, quod alteri denegat. Consequenter vera est sequela, gentem neutralem teneri vtrique *aequaliter* exhibere officia *innoxiae utilitatis*, alias iure gentium extra bellum debita; ac proinde *aequam* se praebere in permittendo *transitu*, in *conuictu* praebendo legionibus, in praestandis *commerciis*, ne videatur vnam partem ex belligerantibus alteri *praeferre*.

## §. VI.

*Salua libertate iustitiae officia vel ex parte vtrique denegandi.*

**N**ihilominus *salua neutralitate* & ex regulis *prudenciae* fieri potest, vt gens media vtrique belligeranti officia innoxiae utilitatis saltem *adiua* denegat. Et quia iura *facultatis naturalis* limitari possunt *partis*; hinc specialis quoque valet conuentio, *vt vtrique belligeranti non sit concedendum, quod alias erat permissum* (w).

## §. VII.

---

(w) GOLF WOLF. I. G. Cap. VI. §. 633. & seq., DARI-  
ES in discours über sein Recht und Völkerrecht  
Part. 2te. Sect. VIII. C. II. §. 267. coroll. 2.

## §. VII.

**E**x regula III. concludimus, 1) vt gentes, qua mediae, nullum sibi arrogent iudicium de iustitia causae, sed quidquid vtrunque in bello geritur, pro iure habeant \*; 2) vt salutem exigente causa & necessitate ciuitatis sequantur praesentem possessionem \*\*: 3) vt in proprio territorio tueantur eum statum tum ratione personarum, tum ratione rerum, in qua persona, vel res fuit, quum ad fines accederet (x).

*Et facta  
vtriusque  
belligeran-  
tis pro ius-  
tis habendi.*

\* Inde non admittenda limitatio GROTHI (y) circa officia neutralium, nihil faciendi, quo validior fiat is, qui IMPROBAM fouet causam, aut quo iustum bellum gerentis motus impediatur. Siquidem ex hoc ipso iudicio, quo gens alteram partem belligerantem iniustitiae efficaciter arguit, studium partium dianoticum externum eruitur, id quod *ideae neutralitatis* manifesto contradicit (z).

\*\* Sic gens neutralis cum praesente possessore regni tempore belli agere, contrahere, vel ei debitum valide soluere potest.

T 5

§. VIII.

(x) Vid. supra C. IV. §. 45.

(y) L. III. C. XVII. §. 3.

(z) Vid. CORN. VAN BYNCKERSH. *quaest. iur. publ. I.* pag. 69.

## §. VIII.

*Officia bel-  
ligeranti-  
um non  
laedendi  
gentes neu-  
trales.*

**P**ositis hifce determinationibus gens, quae neutralitatem feruat, absque dubio neutrarum partium belligerantium *hostis* est, ac per consequens neutri parti belligerantium in hanc competere ius *bellicum*, *inferendi mala* & *hostilitates*, sed potius *leges amicitiae* erga gentes *neutras* exacte custodiendas esse affirmatum patescit.

## §. IX.

*Exceptio  
ex causis  
subnascentibus.*

**I**ura itaque belligerantium contra neutrales deriuari possunt nonnisi ex causis *subnascentibus*. Hae autem causae subnascentes intelligi debent ex duplici hypothefi, 1) *ex facto gentis* pacatae, si neutralis esse desinat, 2) ex illa regula naturali, *ad ius agendi multa consequi indirecte* & *extra agentis prae positum*, *ad quae per se ius non esset*, seu *illud quod in se*, seu *extra collisionem iniustum*, in collisione iustum fieri posse.

\* GROTIUS L. III. C. I. §. 2. seq. ubi §. 4. hanc regulam illustrat speciatim hoc exemplo: sic nauis pyratis plena, aut domus latronibus, vel, ut adicit GRONOVIVS ad GROTIUM loc. cit., vrbs obsessa tormentis peti potest, *etiamsi*

etiamsi intra eandem nauem, aut domum, vel urbem sint pauci infantes, mulieres, aut innocentes, quibus inde creatur periculum. Nam 1) in hoc exemplo ob collisionem maior perfectio in excidio pyratarum, aut latronum vel in salute totius gentis per victoriam merito praefertur minori perfectioni ex conseruatione paucorum. Et sane 2) ille, qui nauem, domum, vel urbem ex necessitate tormentis petit, non intendit necem innocentium, sed sui defensionem, adeoque hoc damnum paucorum innocentium considerari debet ut damnum per consequentiam § absque laesione sal.

## §. X.

**F**acto suo gens neutralis esse definit per *fa- Causa sub-*  
uorem partium, qui ponitur in conatu alteri *nascens est*  
bellantium succurrendi. Hic autem conatus se *fauor par-*  
exerit vel *denegando vni, quod alteri permisit;*  
vel *plene mittendo auxilium alteri bellum gerentium;*  
atque ideo *ex fauore partium* belligeranti con-  
tra gentem, quae hoc modo neutralis esse  
definit, subnascitur ius, spectandi eam pro  
*hoste*, aut saltem *intermittendi officia*, quae gen-  
tibus in bello *mediis* natura debentur.

## §. XI.

**C**ollisio legum naturalium, ex qua *iustum fie-*  
ri potest, quod *extra collisionem iniustum est,* *Et casus*  
*necessitas*  
fe



se prodit in statu *necessitatis extraordinario*, quo posito ponitur *facultas moralis ex obligatione naturali erga semetipsum determinata*, ab *obligatione perfecta alteri debita exceptionem instituendi*, quae facultas passim nuncupatur *fauor necessitatis* (a), per consequens quoque gentes bellum gerentes *fauore necessitatis* contra gentes *neutrales* vti possunt.

## §. XII.

*Limites  
huius ne-  
cessitatis.*

Quandoquidem vero *necessitas* genti beligeranti indubie imponitur non a gente neutrali, sed *ab hoste*; consequens est, *fauorem necessitatis* speciatim hoc casu esse non *absolutum*, sed *circumscriptum* hisce *limitibus* naturalibus, 1) vt ei locus sit demum in statu *necessitatis summae*, seu *extremae*, & quae *ordinariis* mediis contra *hostem* superari nequit: 2) vt praesupponat talem statum collisionis, vi cuius ipsa gens pacata officiis *commoditatis erga se ipsam* obligatur praeferre officia *incolumitatis erga gentes alias* (b), alioqui enim *in pari causa* gens neutralis potest tueri, & gentes

bel-

(a) SCHIERSCHMID *elem. iur. nat. soc. & gent. P. I. C. II.*  
§. 325.

(b) *Sup. P. I. C. III. §. 4.*

belligerantes obligantur illi relinquere *passivam sui medii*: 3) vt sit coniunctus cum obligatione damnum illatum data occasione *resarciendi*, & praecipue 4) vt dirigatur *ad impediendum*, quo minus per praestationem quandam gentis mediae, quae alias suo iure agit, aut per *violentum* vsum territorii pacati ab hoste attentandum *vires* hostis inualefcant.

### §. XIII.

**E**x his regulis definiri debet, *an & quomodo iusta sit collocatio praesidiorum bellicorum in ex-terra, eaque pacata regione?* Hanc quippe iustam esse rite admittit GROTIUS (c) nonnisi in statu *necessitatis extraordinario* & sub iis determinationibus, vt 1) *non imaginarium*, sed *certum* sit periculum, ne *hostis* eum locum inuadat, & inde *irreparabilia* damna det. Tunc enim hostem *praevenire* licet *iure necessariae defensionis* (d). 2) Si dominus regionis pacatae *pro-*  
*priis*

(c) L. II. C. II. §. 10. & L. III. Cap. I. §. 2. quem sequuntur VLRIC. OBRECHT. *diff. de ratione belli* C. IV. §. 10. & HERTIVS *diff. de seruit. natur. const. cum inter diuers. popul. tum inter eiusd. reipubl. ciues. scilicet* I. §. 17.

(d) *Sup. §. 4. 7. II. & 12. n. 1. & 4.*

*priis viribus* vrbes, oppida, aut arces defendere haud possit (e). 3) Si nihil sumatur, quod non *ad cautionem* sit *necessarium*, puta, nuda loci *custodia*, relicta vero domino *iurisdictione & fructibus*, vel vt idem alibi (f) plenius exprimit, *si custodia sufficit, non sumatur usus: si usus, non sumatur abusus: si abusu sit opus, restitatur tamen rei pretium* (g). 4) Si id fiat animo *reddendae custodiae*, simul atque necessitas illa cessauerit (h).

#### §. XIV.

*De iure  
prohibendi  
commercia  
gentis neu-  
tralis cum  
hoste.*

**P**ariter ex iisdem principiis arcessenda est decisio: quid iustum sit circa *commercia* tempore belli inter gentes *neutras*, & *vnam alteramue partem belligerantium*. Vel enim media gens *commercia* exercet cum *altera* partium belligerantium; ita, vt res, quibus instruit eam, *vires eius augeantur*; & iura gentis *neutralis naturalia circa libertatem commerciorum* colliduntur cum iuribus naturalibus alterius belligerantis *ad suam defensionem*, consequenter

(e) *Ib.* §. 5. & 12. n. 1.

(f) *L. III. C. XVII.* §. 1.

(g) *Sup.* §. 6. & 12. n. 2.

(h) §. 7. & 12. n. 3.

ter vi huius collisionis *libertas commerciorum* ita tempore belli limitata est, vt possit alter belligerantium vti fortiori iure *suae defensionis*, & impediendi, ne vires hostis augeantur. Vel casus est oppositus; & *nulla adest collisio*. Quamobrem eadem commerciorum *libertas* & in bello, quae in pace, vigorem sustinet.

## §. XV.

Hisce itaque conuenienter quoad ius belli- *Distingui-*  
 gerantis, *intercipiendi* res, quae hosti suo *tur inter-*  
 adducuntur, pronum est cum GROTIUS (i) se- *res, quae*  
 cernere tria mercium genera. 1) Quae in *in bello &*  
 bello *nullum usum* habent, vt res *voluptuariae* *extra bel-*  
 & *innoxiae*, 2) quae sua natura tantum *in bel-* *lum usum*  
 lo *usum* habent, vt *arma*, 3) quae *promiscuo* *habent.*  
 in *pace* & *bello* vsui inferuiunt, vt *pecuniae*, *com-*  
*meatus*, *naues*, & quae nauibus adfunt. Et  
 primum genus mercium querela caret, & in  
 eo gentibus pacatis *libertas commerciorum* pror-  
 fus integra constat (§. 5.). In secundo *interceptio*  
 eiusmodi mercium omnino iusta fit ex iure  
*naturalis* & *necessariae defensionis* tum contra  
*hostem*, tum contra gentem haecenus *mediam*,  
 vt-

---

(i) L. III. C. 1. §. 5.

utpote quae ad bellum *necessaria* hosti subministrando in partibus *hostium* esse censetur (§. 9.). Quoad tertium vero genus distingui debet belli *status*, adeo ut commercium istarum rerum *prohiberi*, eaque *intercipi* iure possint, quum *vires* hostis inde *augentur* \*, praestita saltem *indemnitate* genti pacatae (§. 12.).

\* Hanc tamen hypothesein cum GROTIUS (k) non cogitandam esse ad causam necessitatis *extremae*, uti si *pacatus urbem fame laborantem ab inedia liberare velit*, vel *pecuniam*, quae urbi deficit, *inferre cupiat*, ex *generalis* conceptu huius rationis & *exactiori arte belli*, ad quod *fouendum* speciatim *pecuniae & sufficientia communitatis* plurimum conferunt, facile consentio.

## §. XVI.

*De iure in  
personas  
mediorum  
in hostico  
deprehensas.*

Nec minus applicatio earundem regularum valet 1) in iuribus belli circa *aduenas*, aut *personas mediorem in hostico* deprehensas. Et enim posthabita distinctione GROTII (l) inter eos, qui *ante bellum* ad *fines hosticos* venerunt, & post modicum tempus discedendi facultatem accipere debent: & inter eos, qui *commisso cognitoque bello* intra *fines hosticos* veniunt,

CII-

(k) *Loc. cit. n. 3.*

(l) *L. lli. C. IV. §. 6. & 7.*

curatius distinguimus, an peregrini ex *iustis* causis saltem *transeant*, aut *aliquamdiu* commorentur in solo *hostili*: an vero *intra hosticos fines* ex causa *permanente* degant. Priori casu laedi non possunt, quia iure naturali *innocentis transitus* vtuntur, quod eis gentes bellum inuicem gerentes auferre nequeunt. Posteriori autem casu, vt reliqui hostium subditi, capi possunt ex iure *impediendi*, ne nouas vires hostis assumat, si *in grauiori* saltem *necessitate* ope horum peregrinorum vti possit. Exceptio est, nisi tales peregrini vel *operis*, vel *ope hosti assistant*. Tunc enim ius gentis belligerantis, *hostium* loco eos censendi, ex actu eorum *hostili* manifesto resultat.

## §. XVII.

**A**tque eadem distinctio obtinet in *rebus pa-* Et in res  
*catorum apud hostes deprehensis*, adeo, vt res corum.  
*innocentiae* separari debeant a rebus *noxiiis & ad*  
*usum belli* paratis, & *prioris* generis res non  
 censeantur *hostiles*, quamuis in territorio *ho-*  
*stili* reperiantur: *posterioris* vero generis res  
 iure belli legitime *capiantur*, tum ex iure *im-*  
*pediendi*, ne vires hostium *augeantur*, tum ex  
 Schrod I, G. U causa

causa *affectus hostilis*, qui subministracione rerum *bello inferuentium* hosti nostro facta satis ostenditur.

- Notetur cum GROTIUS (m), singulos *homines & res*, qui *intra fines & praesidium hostis* reperiuntur, praesumi subditos & *res hostis*. Consequenter si quis medius seu naturalis aliquis asserat, se, aut suam rem non esse *hostilem*; id contra capientem *probare* debet. Atque inde consultum est, vt transeuntes per *hostile* territorium literis *protektoriiis* se muniant, vnde constet, eos non hostes esse, sed *aduenas*, quibus exhibitis *tusi* etiam in *hostico* territorio esse solent.

### §. XVIII.

*De iure hostis in hostem in territorio pacato.*

Tandem iisdem determinationibus attemperari debent iura & effectus *neutralitatis* intuitu *hostium* *in se* in territorio *pacato*, speciatim quoad ius *laedendi*, ac *interficiendi hostem* in territorio *gentis mediae*.

### §. XIX.

*Distinguitur, an pauci hostes,*

Nimirum aut *pauci hostes*, vel *naues hostiles* in territorio *gentis pacatae* deprehenduntur; &

---

(m) *Loc. cit. §. 6.*

& nulla adparet ratio sufficientis necessitatis (n), quae belligeranti praebet ius in territorio tertio, consequenter ius hostis in hostem suspenditur per officium erga gentem neutralem perfectum *negatiuum de non violando iure territoriali & pace gentis neutralis, qua dominae territorii.*

## §. XX.

**A**ut totus exercitus hostilis in solum neutrale confugit; & rursus respicimus, an consentiente gente pacata, aut inuita. Si consentiente; nascitur ius perfectum, offendendi hostem ibi deprehensum ex facto *receptionis*, quo gens neutralis esse cessat, & reparationi iuris nostri resistit.

*An totus exercitus hostilis in territorio pacatum conserit, vel consentiente,*

## §. XXI.

**S**i inuita; tunc hostis aut in fuga est, aut nobis exitium hac via minatur. Priori casu *violatio territorii* per exercitium actuum hostilium, etiam contra hostem, iniusta manet ob cessantem rationem *summae necessitatis* (§. 12.): *posteriore casu* perinde esse, vbi hostem no-

U 2

strum



strum deprehendamus, euincit *fauor extremæ necessitatis* (§. II.), quæ certo non nobis, sed *hosti* nostro a gente neutrali in ordine ad consequendam suam *indemnitatem* imputari debet.

## §. XXII.

*De foederibus neutralitatis.*

Caeterum quemadmodum *amicitia* neutralium in bello non semper est *secura & perpetua*, atque ob *incertos* limites iurium neutralitatis *simplicis* (de qua hactenus) haud raro euenit, vt occasione *belli* multa patrari soleant in *finitimos*; ita *securitati* gentium mutuae in bello prouide consulitur per *foedera neutralitatis*, in quibus tum ad *officia*, tum ad *tura neutralitatis* ius *perfectum* constituitur.

## §. XXIII.

*Neutralitas passiva vel absoluta, vel restricta.*

Ex hisce itaque foederibus descendit *neutralitas passiva*, quæ iterum est vel *absoluta*, quæ *utramque* partem bellantem *in omnibus* aequat: vel *restricta*, quæ in vno altero *uni* tantum bellantium fauet, in caeteris autem ius *aequalis amicitiae* erga vtrumque firmat. Et porro vtraque est aut *generalis*, aut *specialis*, prouti *integrae* cuidam genti, vel certae

certae tantum populi *parti*, aut ciuitati alicui *particulari* conceditur.

\* Neutralitas *paſſiua ſpecialis* per pacta ſpecialia inter belligerantes ex ſingularibus rationibus indulgeri ſolet etiam confoederatis, vaſallis, quin & vni, vel alteri prouinciae hoſti *ſubiectae*, quibus pactis eorumque conditionibus iuxta fidem inter hoſtes inuiolabilem omnino ſtandum (o).

§. XXIV.

**A** gentibus *neutralibus* differunt *focii belli*, & *auxiliares*, quorum illi *ad communem ſibi iniuriam communibus viribus vindicandam ſe aſſociant*: poſteriores autem alteri genti belligeranti *copias auxiliares*, aut *ſubſidia ex foedere* ante, vel poſt ortum bellum contracto mittunt (p).

*De ſociis & auxiliatoribus belli.*

§. XXV.

**E**x his autem eruitur, *focios belli differre ab auxiliatoribus*, 1) quod ſinguli focii ſint *prin-*

*Quomodo inter ſe differunt?*

U<sup>3</sup>

*prin-*

- 
- (o) Conf. HENRIC. BOECKLER *diff. V. ad GROT.* & CHRIST. GODOFR. FRANCKENSTEINII *diff. prior de his, qui neutras in bello partes ſequuntur.* Lipſ. 1687.
- (p) SAMVEL de COCCEI. *diff. prooem. XII. L. VII. C. IV. §. 773.*

*principales* & suo iure agant: auxiliatores vero sint *instrumentum* causae principalis, & non suo iure, nec suo nomine agant, sed alterius causae accedant, & consequenter 2) quod *socii* belli sibi adquirant: auxiliatores vero belli saluis expensis bellicis adquirant omnia *principalia*.

## §. XXVI.

De iure in  
auxiliato-  
rem belli  
ut hostem.

Nihilominus euidens est, *auxiliatorem* belli ad terre *hosti* meo vires *physicas* ad mala mihi irroganda, ac proin esse causam *moralementis* laesionis hostilis. Enimvero per talem conatum *efficacem*, mihi mala inferendi, auxiliator fit *hostis* meus, eique vt causae *moralis* malum ex laesione hostili mihi illatum omnino imputari potest; igitur auxiliator spectari potest, vt *hostis*, consequenter in se quoque ius belli *defensiuum*, aut reparatiui mihi summa lege porrigit (q).

## §. XXVII.

---

(q) Conf. WOLF. *iur. gent. C. VI. §. 730.* SCHIERSCHMID *elem. iur. nat. soc. P. III. C. III. §. 553.* & MARTINI *posit. iur. nat. C. XXIII. §. 594. contra* GLAFFEYUM *im Völkterrecht C. VIII. §. 52. & seq.* HENR. KOEHLER *in spec. iur. soc. & gent. §. 1978. 1991.*

## §. XXVII.

Caeterum tametsi moribus gentium aliud placere possit, vt auxiliatores, qui *De ratione contrariae gentium obseruantiac.* *foe iuris eius* auxilia determinata hosti subministrant, iure *hostili* non soleant censerī; hanc tamen praxim subnixam esse non *gulis iustitiae stricte talis*, sed rationibus *suasoriis*, quoniam genti bello implicatae saepe consultius est, *leuiorem* concursum *tertii* ad suam iniuriam *tolerare*, quam affectus & vires eius *hostiles* contra se *irritare*, id, quod quisque haud difficulter perspiciet (r).



U 4

PARTIS

& VATTEL *droit des gens* L, III, Chap. VI. §. 95. & *seqq.*

(r) KEYFFEL *exercit*, GROT. VIII, ad L, III, C. I. §. 189. *in not. i.*



# PARTIS III.

## SECTIO II.

### IVS PACIS GENTIVM, EIVS- QVE CONSECTARIA.

#### CAPVT I.

#### DE PACE ET SPONSIONIBVS.

##### §. I.

*Definitio  
paciſ.*

**Q**uemadmodum omne bellum paciſ cauſa ſuſcipi debet(s); ita bello publico finem imponit *pactio paciſ*, quae eſt *publica inter gentes belligerantes conuentio, qua bellum finitur ſublata belli cauſa*. Atque ita pax differt ab *induciis & armiftitio*, quod illis *ſtatus belli*: hoc vero *cauſa* belli e medio non tollantur.

\* Agendum hic in praelectionibus de *pracliminaribus* paciſ circa determinationem loci & temporis, inſtituendi congreſſus, litteras com meatuſ pro pace, ordinationem curſuſ poſtaruſ, characterem, & ordinem

(s) DARIES *inſt. iur. uniu. part. ſpec. ſec. II. C. I. §. 370.*

dinem sedendi legatorum, ac demum modum tractandi (t).

§. II.

**P**ax alia est *uniuersalis*, quae omnes ac singulos belli confortes comprehendit: alia *particularis* seu *separata*, quam gentium belligerantium quaedam saltem cum exclusione reliquarum belli confortium concludunt.

*Est vel uniuersalis, vel particularis seu separata.*

\* Huc pertinet quaestio, *an gens belli socia seu foederata possit facere pacem particularem absque consensu gentis foederatae?* Ad quam sicuti non tantum ex tenore, sed & ex natura foederis in regula negando esse respondendum sequitur; ita aliud obtinere in casu *verae necessitatis* ex axiōmate, quod foedera sub clausula: *rebus sic stantibus*, pacta intelligantur, facile largimur (u).

§. III.

**I**us faciendae pacis est confectionarium iuris belli, consequenter ius pacis aequae ac ius belli

*Ius pacis est maiestaticum.*

U 5

(t) Argumentum hoc iuris gentium *ceremonialis* plenus excutiunt I. W. HOFFMANN diff. *de obseruantia gentium circa praeliminaria pacis*, GLAFFEY im *Wölferrecht C. VII. §. 1. & seqq.* & L. B. de ICKSTATT *elem. iur. gent. L. V. C. II. §. 15. & seq.*

(u) *Sup. P. II. C. IV. §. 19. seqq.* add. SCHIERSCHMID *elem. iur. nat. soc. gent. P. III. C. III. §. 535. cerol. 2.*

*belli est maiestaticum.* Atque hinc liquet, in statu *aristocratico* ac *democratico* ius faciendae pacis pertinere ad collegium optimatum, aut totum populum per maiora suffragia: in statu autem *absolute monarchico* ad regem, modo hic ius habeat *non impeditum*.

\* Dicimus: *in statu absolute monarchie.* Nam in monarchia *limitata* aut *mixta* modus, faciendi pacem, a norma legum ciuitatis publicarum & fundamentalium indubie desumi debet,

## §. IV.

*Denegatur regi immature aetatis, aut imminutae mentis,*

Ius impeditum habet rex *immaturae aetatis*, aut *imminutae mentis*, veluti *furiosus*, aut *mente captus*. Quare hic pacem pangere nequit, sed in his circumstantiis pacem sancire eorum est, quibus imperii *administratio* legibus regni fundamentalibus concedita est,

## §. V.

*Competit autem regi pulso.*

Contra iure pacis faciendae haud priuatur rex, suorum seditione, aut iniuria tertii regno *pulsus*. Siquidem hic summam *imperium* eique cohaerentia iura haud amisit, quamquam regni *possessionem* amiserit (w),

## §. VI.

(w) *Syst. I. P. V. Part. III. C. I. §. 39.*

## §. VI.

**M**aius dubium est de rege captiuo, *an hic An regi pacem facere possit?* Plures enim cum GRO- *captina?* TIO (x) tres casus fecernendos existimant. Vel enim rex captiuus promittit rem suam *privatam*; & omnimodo valet pax inita, quia *prout quisque de iure suo disponit, ita ius est.* Vel spondet rempublicam, aut ordines regni ratihabituos pacem; & tunc haec vi *conditionis* adiectae per se non valet, nisi populus, aut ordines regni consenserint.

## §. VII.

**V**el rex captiuus disponit de iure *publico*, *Sententia Grotii.* promittendo se cessurum *parte regni*; & haec promissio valet quidem in regno *patrimoniali*, cuius proprietas & libera dispositio ad regem spectat (y); ast in regno *non patri-*  
*-moniali*

(x) *L. III. C. XX. §. 3. quem sequuntur VITRIAR. I. I. N. & G. Cap. XIII. §. 4. WOLF. I. G. Cap. VIII. §. 983.*, qui tamen addit in casum, si rex captiuus de administratione regni nihil disposuerit, pacem sanciri posse ab illo, qui proximam spem succedendi habet, quum perinde sit, ac si rex mortuus esset.

(y) *Syst. I. P. V. Part. I. C. IV. §. 13.*



*moniali* pacem regis *captiui* cum victore factam non aliter valere docent, quam si populus, aut illi, quibus administrationem imperii rex, vel populus commisit, consenserint. Quandoquidem enim non credibile est, a populo imperium regni non patrimonialis delatum fuisse ea lege, vt & a *non libero* exerceri possit; igitur hoc casu imperii non quidem ius totum, sed *exercitium*, & *quasi tutela* erit penes populum, aut eum, cui id rex, vel populus commiserit.

### §. VIII.

*Nos asserimus.*

Verum his non obstantibus accedo ad eorum sententiam, qui docent, regem captiuium *generaliter* pacem concludere posse, eaque suam ciuitatem obligare. Nam 1) etiamsi talis rex dimoueatur ab *administratione* regni *ordinaria*; retinet tamen suam *maiestatem*, adeoque ex hoc capite, instar regis *exulis*, non impeditur ius eius maiestaticum in pace facienda, quam rex eligit vt optimum *medium*, se liberandi a captiuitate. Et sane 2) quemadmodum populus naturaliter obligatur ad liberationem sui regis; ita haud est veri-

veri-

verifimile , quod populus in regno etiam non patrimoniali ius ad hoc medium liberationis regi voluerit adimere (z).

### §. IX.

**N**eque exceptio potest allegari in conditionibus regi, eiusque regno nimium *no-* <sup>*Abſque*</sup> *n-* <sup>*exceptione.*</sup> *xiis*, & nimiae alienationi obnoxiiis, quae per leges fundamentales in regnis non tantum *electiuis*, fed & *ſucceſſiuis* praecaueri ſolet. Etenim nemo exinde inferet, regem, aut populum ad eiusmodi pacta ſeruanda non obligari, ſiquidem & pacta regum *in libertate* conſtitutorum talis eſſe poſſunt conditionis, quae tamen ſancte colenda eſſe patet. Et quis ſic tractaret cum rege *captiuo*, & proſopitas ab eo pacis conditiones acceptaret, ſi non poſſet ille implere promiſſa, niſi *utilitate*, aut *leuiori* ſaltem damno in ſe, ſuamque ciuitatem ſubiectam redundante. Quod autem limites poteſtatis regiae in alienatione partium regni pactis fundamentalibus conſtitutos attinet; eos ad alienationem *voluntariam*, non veroneceſſa-

---

(z) Conf. VATTTEL *droit des gens* liv. IV. chap. II. §. 13.

*cessariam*, quam *ineluctabilis necessitas* extorquet, pertinere ex dictis alibi (a) elucescit.

## §. X.

*De pace a  
ministros  
facta.*

**I**us contrahendae pacis *delegari* non tantum potest, sed & quandoque debet, cum in statu *polyarchico*, in quo aut senatus optimatum, aut populus in vnum locum conuenire nequeunt: cum in *monarchico*, in quo personalem principum congressum impendentia subin vetant pericula. Atque adeo pax, a *legatis*, aut *belliducibus* ex speciali consensu summae potestatis conclusa, vera pax est ac inuiolabilis.

\* Enimuero etiamsi legati, gentis nomine pacem concludentes, absque mandato speciali nihil agere praesumantur; consequenter ostensis seu exhibitis *plenaee potentiae* literis paciscentes vtrinque sat securi esse videantur; ad vberiolem tamen vtrorumque securitatem, praescindendaque subterfugia consultum inter gentes est, ne summae potestates instrumentis pacis plenam obligandi vim impertiantur, nisi speciali voluntatis declaratione adprobata fuerint.

---

(a) *Syst. I. P. V. Part. III. C. III. §. 16.* Add. inter caeteros *GVNDLING exercit. de iure oppignorati territorii §. 22. §. seqq.*

rint. Atque hinc instrumenta pacis *ratihabenda* esse, nec ante solennes *ratihabitionum* tabulas, vtrunque commutatas, *plena* & *perfectae pacis* nomen eadem fortiri, passim obseruatur.

## §. XI.

**A**t vero a pace discrepat *sponsio*, cuius nomine indigitatur *conuentio a ministro, aut belliduce iniussa summae potestatis, nec intra fines propositionis de iure publico facta*; & consequenter minime obligat *gentem*, aut *principem*, absque cuius consensu inita est. *De sponsio.  
ne.*

## §. XII.

**I**dque adeo verum est, vt potestas summa *ex sponsione non ratihabita* ne quidem obligetur ad id, quod *interest*, neque ad rem restituendam in eum *statum*, in quo fuerat ante sponzionem, quamuis non debeat *locupletior* fieri cum alterius damno. *Non obligat summam potestatem.*

## §. XIII.

**Q**uum itaque *sponsio* contineat *promissionem de facto tertii*; sequitur, solam obligationem *sponsionis* subsistere intuitu *sponsorum ad procurandam* *Bene tamen sponsorem ad procurandam*  
*vis,*

*ratihabitionem.* ris, ut utatur omni *diligentia* moraliter possibili ad impetrandam ratihabitionem summae potestatis.

## §. XIV.

*Quid iuris ratihabitione non subsecuta.* **A**t vero ratihabitione non subsecuta inter-  
est, an sponsio *cum*, aut *sine conditione ra-*  
*tihabitionis* facta sit. Priori casu ratihabitione  
recusata fidem sponsoris omnino liberatam  
esse ob defectum *conditionis*, per se patet.

## §. XV.

*Distinguitur, an sponsor dolum commiserit.* **P**osteriori autem casu rursus distinguendum  
venit. Vel enim sponsor *callido consilio* de-  
cepit alterum, quia potestatem *publico nomine*  
contrahendi prae se tulit; & procul dubio ad  
*reparationem damni*, per dolum *dati*, parti stipu-  
lanti, & ad *poenam* suae ciuitati tenebitur.

## §. XVI.

*Vel non eum poena adicitur.* **V**el *nullus dolus* sponsoris interuenit; & in  
hoc casu porro refert, utrum in casum  
facti *non secuti* sponsor *poenam* promiserit; & ad  
eam *improbata* sponsione sponsor obligatur, quo-  
niam illa, facto non secuto, *sola* in obligatio-  
ne est.

## §. XVII.

## §. XVII.

Quodsi vero *nulla poena adiecta* sit; facile *Vel sine poena adiecta.* conficitur, ex tali sponfione *bona spon-* foris primum ad id, quod *interest*, & si ea non sufficiant, *corpus ad seruitutem* obligari, id quod exemplis Romanorum concinne illustrari potest (b).

\* *An vero, & quibus sub determinationibus* ciuitas teneatur sponforem genti laesae *dedere*, ex prin-<sup>icipiis</sup> (P. I. C. II. §. 33.) praemissis pronum est colligere.

## §. XVIII.

Sed controuerfa quaestio est, *an sponfiones pa-* *An obliget* cis non obstringant gentem, si factae sint *casu sponfo in casu ne-* *neceffitatis extremae?* Sunt enim, qui cum GRO- *cessitatis extremae facta.* TIO (c) *simpliciter* negant, quia 1) gens neque obligatur ex pacto *suo*, quum nihil promiserit: neque ex pacto *ducis*, qui de *re publica* disponere non potuit. 2) Quia genti stipulanti *imputari* debet, quod contraxerit cum *duce*, ex cuius conuentione scire debuit, non posse obligari ciuitatem.

## §. XIX.

(b) GROT. L. II. C. XV. §. 16.

(c) *Lec. tit. §. 3. & 16. quem sequitur* COCCEI. *comment. ad GROT. loc. cit.*

Schrodt I. G.

X

## §. XIX.

Affirma-  
tunt.

Sed verior est sententia illorum (d), qui sup-  
 posita necessitate *vere ineluctabili* affirmant  
 gentem obligari vel ad *ratibabendam* sponsio-  
 nem belliducis, vel *ad rem in priorem statum re-*  
*stituendam*, idque inde probant, quod in *ex-*  
*trems angustis*, vbi *absque internecione exercitus,*  
*interituque reipublicae* euadere bellidux nequit,  
 hic *tacito summae potestatis mandato* facultatem  
 habeat, consentiendi in conditiones pacis,  
 sine quibus exercitus, vel prouincia, imo ip-  
 sa respublica *seruari* non posset; consequen-  
 ter vi huius mandati vicem legati *extraordi-*  
*narii & plenipotentiarum* in facienda pace sustine-  
 at. Atque inde euincitur, argumenta GRO-  
 TII per legitimam *exceptionem* in casu *extremas*  
*necessitatis* corruere.

## §. XX.

- 
- (d) HEINEC. *elem. iur. nat. & gent. L. II. C. IX. §. 213.*  
 L. B. de ICKSTATT *elem. I. G. Lib. V. C. II. §. 10.*  
 & SCHIERSCHMID *elem. I. N. S. & G. Part. III. C. III.*  
 §. 555. *schol. 2., qui Romanis ex neglecta fide sponsonis*  
*Caudinae & Numantinae manifestam perfidiae &*  
*cauillationis notam impingere non verentur, contra*  
 THOMAS, *diss. de spons. Caud. & de spons. Numant.*

## §. XX.

Caeterum ad quaestionem, *an sponsio obliget civitatem ex notitia & silentio?* GROTIUS (e) legitime respondet sub distinctione, *an pure facta sit sponsio: an sub conditione, si rata haberetur a populo.* Nam *posteriori casu conditio non impleta per se irritam* facit sponsionem: in casu autem *priori solum silentium non satis probabilem voluntatis coniecturam supeditat, nisi actus aliqui accesserint, qui ad aliam causam probabiliter referri nequeunt.*

Tunc enim sponsio recte intelligitur esse *ratibabita.*




X 2

CAPVT

(e) *Loc. cit. §. 17. & L III. C. XXII. §. 3.*





## CAPVT II.

### DE AMNESTIA ET SVBSIS- TENTIA PACIS.

#### §. I.

*Duo capi-  
ta pacis.*

**E**x notione & scopo pacis euincitur, duo in pace potissimum concurrere, 1) *pactum de intermittenda ac deponenda hostilitate, & fruenda tranquillitate,* 2) *transactionem super controuersis, propter quas bellum haecenus gestum.* Adeoque pactio pacis comprehendit duo capita, I. *amnestiam,* qua de *iniuriis, damnisque,* quae bellantes sibi inuicem intulerunt, *transigitur;* II. *pacem in specie,* seu *transactionem de bello eiusque causis.*

#### §. II.

*Restitutio  
ex capite  
amnestiae  
& grauaminum.*

**I**nde fuit duplex restitutio in pacificationibus gentium publicis facienda. Ex capite *amnestiae,* seu *annulatione* omnium eorum, quae durante bello *hostiliter* acta occupataque fuere: & ex capite *grauaminum,* seu *controuersiarum* bellum praegressarum.

\* Hanc

\* Hanc distinctionem curate seruata esse in pace Westphalica, tabulae vtriusque pacis Monasteriensis & Osnabrugensis luculenter loquuntur.

## §. III.

**A**mnestia nihil aliud est, quam iniuriarum & *Notio am-*  
*nestiae &* *diuisio in*  
*generalem*  
*& specia-*  
*lem.*  
 offensionum vtriusque in bello illatarum publice  
 & in sempiternum sancita obliuio. Haec diuidi-  
 tur 1) in illimitatam, & restrictam, prouti aut  
 ad omnes personas & causas refertur, aut ab  
 illa quaedam personae, res, seu certa damna  
 excluduntur (f).

## §. IV.

**P**orro amnestia alia est *expressa*, quae ver- *In express-*  
*is & ta-*  
*estam.*  
 bis disertis promittitur: alia *tacita*, quae  
 paci inest, tametsi expresse nihil de ea di-  
 ctum sit. Quum enim pax firma coalescere  
 non possit, nisi praeteritorum malorum aboleatur  
 memoria, inimicitiae deponantur, remittatur vin-  
 dicta; ideo omni paci ex sua natura inest an-  
 nestia, licet verbis expressa non sit (g).

X 3

§. V.

(f) Conf. HENR. COCCEL. in *diff. de possim.* §. 3<sup>o</sup> p. 20. *scilicet*,  
 IV. §. 19.

(g) Conf. VITRIAR. *L. II. N. §. 6. Cap. ult. quae est. 7.*

## §. V.

Capita -  
amnestiae  
expressae.

In amnestia *expressa* iuxta GLAFFEYVM (h) possunt sequentia potissimum determinari capita: 1) *obliuio* omnium iniuriarum ex causa, & tempore belli illatarum: 2) *venia*, seu *aggratiatio* illarum personarum, quae tempore belli hosti seruierunt, seu adstiterunt: 3) *restitutio* prouinciarum & locorum *ablatorum* in bello: 4) *reparatio damnorum & expensarum* belli: 5) *renunciatio* omnium *praetensionum* mutuarum, quae fuerunt *causa* belli.

## §. VI.

Quaenam  
in amne-  
stia tacita  
continen-  
tur.

Est difficilis disquisitio est, quaenam ex his capitibus *naturaliter* comprehendantur in amnestia pacis etiam *tacita*? Ad cuius decisionem sequens formari debet regula: in amnestia pacis *naturaliter* continetur *abolitio* eorum, quae ad *causas* belli spectant, & prouti haec *abolitio* ad *scopos* pacis necessaria est.

## §. VII.

Oblitio in-  
iuriarum  
& venia-

Ex hac regula pronum est concludere, vt amnestia pacis natiuo suo ambitu comple-

(h) Witterrecht C. VII. §. 44.

plectatur ea, quae §. 5, sub n. I. & 5. recensita sunt, nempe *obliuionem* omnium iniuriarum ex *causa* & *tempore* belli illatarum, & *renunciationem* omnium praetensionum mutuarum, quae fuerunt *causa* belli, utpote sine qua pax exitum habere nequit.

## §. VIII.

Similiter inde fluit, ut in amnestia pacis tacita contineatur potius *remissio*, quam reparatio damnorum & expensarum belli. Nam *Etiā remissio damnorum & expensarum belli.* Nam 1) pax componitur non tantum de causa, sed & de effectibus belli potissimum *transeuntibus*: iam vero inter hos effectus belli referuntur *damna & expensae bellicae.* 2) *Liquidatio* damnorum & expensarum est difficilis, & facile *nouam* bello causam daret, igitur absque horum remissione pax non foret stabilis.

## §. IX.

Verum grauius controuertitur de *restitutione* prouinciarum & locorum tempore belli ablatorum, *An restitutio prouinciarum & locorum tempore belli ablatorum.* an haec in amnestia pacis *tagita seu generali subintelligatur?* GROTIUS (i) enim hac

X 4

(i) L. III. C. XX. §. 13. &amp; seq.

haec in quaestione distinguendos esse ait tres casus: vel amnestia facta est cum lege *restitutionis*, vt nempe omnia restituantur in eum locum, quo fuerant *ante bellum*, & loca durante bello occupata cum *fructibus* & omnibus iuribus cohaerentibus debent restitui; atque in tali restitutione respicitur *ultima*, quae *ante bellum* fuit, possessio, nisi *certum* restitutionis *terminum* in tabulis pacis designatum esse adpareat.

## §. X.

*Distinctio  
Grotii,*

**V**el conuentum est, ut maneant eo, *quo sunt*, loco, seu vt *seruet quisque, quod bello cepit*; & victoris manet, quidquid ille cepit, i. e. quidquid in eius *potestate* & *custodia* est,

## §. XI.

*Continuatio.*

**V**el clausula *generalis* amnestiae est adiecta; & in hoc casu adserit, in dubio praesumi tale pactum, vt res maneant eo, *quo sunt*, loco, quia facilius est, & nullam inducit mutationem.

## §. XII.

## §. XII.

Quandoquidem vero *detentio* alienarum pro- Affirma-  
vinciarum & locorum est actus *hostilis*, tur.  
& a qualibet parte iustificatur ex *putativa* belli  
*causa*; hinc sublata per pacem *hostilitate* & bel-  
li *causa* cessare hanc detentionem, qua *effe-*  
*ctum* belli, & ex *tacita* seu *generali* amnestia  
naturaliter consequi *restitutionem* provincia-  
rum & locorum *pendente bello* hosti ablatorum,  
contra GROTIUM tuto concludimus (k).

\* Ad rationem GROTII contrariam notetur, ex natu-  
ra pacis respiciendum esse ad id, quod nullam muta-  
tionem ex parte non tam *vnus*, quam *vtriusque* bel-  
ligerantis infert.

## §. XIII.

Caeterum facile largimur cum GROTIO (l), De ciuita-  
*restitutionem* ex capite amnestiae non tibus libe-  
pertinere ad ciuitates *sui iuris*, quae *sponte* se ris quae  
alteri belligerantium subiecere, quia transi- durante  
gitur pace saltem de *controuersis* & *iniuriis* bel- bello hosti  
licis: at ciuitas *dedita* non ex belli causa du- se dedide-  
bia, neque per iniuriam, sed *ultronea* & *iusta*  
*deditione* in possidentis degit potestate, ergo.

X 5

§. XIV.

(k) Conf. GLAFFEY im *Wälkerrecht* C. VII. §. 47.

(l) *Loc. cit.* §. 14. & COCCEI. in *comment.*

## §. XIV.

*Neque ad  
res mobiles.*

**M**ulto magis concedimus, amnestiam tacitam, imo expressam cum ea lege, ut omnia restituantur in eum locum, in quo fuerant ante bellum, haud extendi ad res *mobiles* in bello captas, siquidem & restitutio harum rerum pluribus *difficultatibus* obnoxia, ac consequenter eius *remissio* ad *scopos* belli necessaria est, nisi de restituendis rebus *certis*, aut, quod expeditius, de certa restitutionis summa conuenerit (m).

## §. XV.

*In amnestia non  
continetur remissio  
debitorum  
similium.*

**Q**uum ex natura pacis non aboleantur, nisi *causae* belli & *iniuriae* vtrique in bello factae; facile colligimus, per amnestiam pacis nullatenus remitti debita *ciuilia*, ante inchoatum bellum contracta, siue sint *publica*, quae ciuitas priuatis: siue *priuata*, quae priuati inter se debent, quoniam haec debita certo non ex vi bellica, aut iniuria, sed ex *iure* & vtriusque *consensu* ortum habent.

## §. XVI.

---

(m) WOLF. I. G. Cap. VII. §. 996.

## §. XVI.

**A**t quoad debita *poenalia* diuersam rationem An debita poenalia. conspiciere fas est in debitis poenalibus *privatis & publicis*. In illis enim quoque valet ratio, quod debita illa non sint *iure belli* quaesita, sed bello tantum exigi vetita, ac per consequens actio ex iis per pacem non remissa, sed *redintegrata* censeatur; in debitis vero *poenalibus publicis*, si ius ad *poenam* gentibus competens exigeretur, facilius pristinum belli semen resuscitaretur, quod per pacem praecauere voluere partes, consequenter horum *remissionem* scopo pacis naturaliter esse congruam, cum GROTIUS (n) inferimus.

## §. XVII.

**D**enique ex eadem ratione sequitur, vt in Non delicta a subditis propriis commissa etiam cum hoste. amnestia naturaliter non contineatur *venia*, seu *adgratiatio* delictorum, quae *vasalli*, aut *subditi* aduersus *suum principem* in bello etiam cum hoste patrauerunt, quum per am-

ne-

---

(n) L. III. C. XX §. 16. sq. etiam si contrarium sentiat SAMUEL de COCCIS ad GROTIUM, loc. cit. & diff. prooem. XII. L. VII. C. VII. §. 869. n. 2.



nestiam transigatur tantum de iniuriis *inter partes* factis, seu quas vna pars bellantium alteri intulit: non vero de iis, quae *vnus* partis subditi commifere. Et profecto hostis pacificitur *pro se* tantum & *suis*, non pro *nostris* hominibus, in quos ius *puniendi maiestaticum* omnino saluum manet (o).

## §. XVIII.

*Quid articuli pacis.*

**P**acem in specie constituunt *articuli pacis*, qui dicuntur *singulae conuentionis partes*, quibus *distinguuntur ea*, de quibus *singillatim* quidpiam fuit conuentum. Hi sunt vel *connexi*, in quibus conuenitur de rebus ad eandem causam pertinentibus: vel *diuersi*, in quibus conuenitur de rebus ad diuersam causam spectantibus.

## §. XIX.

*De alienatione partis regni aut honorum publicorum in pace.*

**I**n articulis pacis constitui etiam potest *de alienatione regni*, vel eius *partis*, vel quoque bonorum, aut redituum *coronae*. Quae alienatio *necessaria* quomodo valeat, alibi, cum *de alienatione regnorum* egimus (p) explicauimus. .

\* No-

(o) WOLF. EHRENR. AVG. s. KLVX *de amnestia*. Lipsiae 1736.

(p) *Syst. I. P. V. Part. III. C. III. §. 15. seq.*

\* Notetur hic cum GROTIUS (q) nomina regionum in pace cessarum ex regulis hermeneuticis sumenda esse iuxta significationem *tempore pacis* vsitatam, praesertim penes *peritos*, a quibus negotia talia tractari solent.

§. XX.

Et quoniam summus imperans *vi maiestatis* De alienatione bonorum priuata *salutis publicae* causa (r), talis auctoritatem idea *salutis* aut *necessitatis publicae* euidenter se exferit *in pace*; sequitur, summo imperanti competere ius *perfectum*, in pace *disponendi* de bonis subditorum priuatis, eaque in hostem *alienandi*, cum, aut *sine compensatione*, in quantum *necessitas publica* vrget.

\* Dicatur in praelectionibus de *publicatione* pacis, quae speciatim necessaria est, vt tam *militibus*, quam *subditis* per modum *legis* promulgetur, paterna esse factam, consequenter bellum finitum. Item de *executione* pacis, quae est *actus* quo gentes sibi inuicem *actu praestant*, ad quod *praestandum* ex *pacis sanctione* sibi inuicem *obligatae sunt*. Qua de causa sibi inuicem ultimo exhibere solent *executionis recessus* (s).

§. XXI.

(q) L. III C. XX. §. 23.

(r) *Syst. I. P. V. Pars. II. Cap. VI.*

(s) Conf. WOLF. *I. I. N. & G. Part. IV. C. IX. §. 1231.*

## §. XXI.

*Pax obli-  
gantur  
successores.*

**O**b eandem rationem, quod pacem summus imperans pangat ex causa *salutis publicae*, & consequenter nomine *ciuitatis*, conficitur, pacem esse foedus *reale*, ac propterea obligationem pacis seruandae durare in quolibet *successore* regni, quocunque modo succedat, nisi ex tabulis pacis adpareat, eam esse *personalem* (t).

## §. XXII.

*Absque ex-  
ceptione  
laesionis,  
vis & me-  
tus.*

**Q**uumque pax ex sua natura & vi *amnestiae* sit transactio de *omni belli causa & iniuria*, ac per consequens *finis* belli; euidens est, pacem inter gentes rite factam non posse impugnari, & rescindi exceptione *laesionis enormis*, *vis*, aut *metus iniusti*, quia per id *pristina* belli *causa* penitus redintegraretur, atque adeo pax non tam *finis* belli, quam potius eius *initium* foret. Sed & inter liberas gentes nullus datur iudex, qui de *iniustitia* laesionis, *vis*, aut *metus* possit cognoscere (u).

## §. XXIII.

(t) GROTIUS. L. III. C. XX. §. 6.

(u) CONF. GROTIUS. L. III. Cap. XIX. §. II. & C. XXV. §. 7. BOEHMER I. P. V. part. spec. Lib. II. C. I. §. 37. in not. & WOLF I. G. Cap. VIII. §. 1025.

## §. XXIII.

**I**dque adeo verum est, vt quamuis subditi *De pace*  
*rebelles* iuris belli sint expertes, & iure in- *subditis*  
*perii* ac iudicii coërceri possint (w); pax ta- *rebellibus*  
 men a summo imperante cum iis composita *seruanda.*  
*valida* & seruanda sit. Idque 1) *ob inuiolabili-*  
*tatem naturalem fidei pactitiae*, quae iis non qua  
 rebellibus, sed qua *hominibus* data est: 2) *ob*  
*amnestiam*, quae suo conceptu *remissionem iniu-*  
*riae*, summo imperio per rebellionem illatae,  
 inuoluit: 3) ex summa ratione *salutis publicae*,  
 quae hoc casu vrget custodiam fidei pactitiae;  
 sine qua nullum remedium succurrendi peri-  
 clitanti imperio & reipublicae suppeteret.

## §. XXIV.

**N**eque ex iure maiestatico *dominii eminentis* *Abque*  
 deriuari potest *potestas summi imperantis*, *usu domi-*  
*auferendi ius subditis ex pacificatione quaesitum*, *nis emi-*  
*nentis.*  
 Quemadmodum enim hoc *dominium eminentis*  
 limitatum est ad causam *utilitatis* vel *necessitatis*  
 publicae (x); ita in proposito potius violari  
*salutem publicam*, ex qua princeps rebellibus  
 fidem

(w) *Sup. P. III. C. I. §. 12.*(x) *Syst. I. P. V. P. II. C. VI.*

fidem dedit, vel inde euincitur, quod alias sine praesidio fidei pactitiae subditi armis semel sumtis *in desperationem* conicerentur, ac *extrema* tentarent, nec ea prius deponerent, quam ubi vel ad suam, vel ad imperii *extremam* ruinam deuenissent (y).

## §. XXV.

*An subditis competat ius resistendi ob violatam a principe fidem.*

**E**nimuero in aprico est, talia pacta cum multitudine rebeli in odium summi imperantis 1) *strictius* esse interpretanda, neque 2) eo extendenda, ut subditos per se collocent extra statum *subiectionis*. Quapropter subditis ius, *resistendi* principi ob *violatam* fidem, merito negamus, nisi ius *libertatis naturalis* eatenus subditis relictum in tabulis pacis *expresse* comprehendatur.

## §. XXVI.

*De ruptura pacis.*

**C**ontra fidem pacis publicam pugnat eius *ruptura*, quo nomine denotatur *factum tam positivum, quam negativum* pacti pacis *contrarium*.

## §. XXVII.

---

(y) Conf. GROTI. L. III. C. XIX. §. 6. & seq. BOEHMER I. P. V. part. spec. L. II. C. II. §. 22.

§. XXVII.

**E**nimvero ruptio pacis est iniuria, quae *suo* Pax rumpitur per factum gentis paciscentis, non autem socii. tantummodo *auctori* imputari potest. Inde fluit, vt pax a gente *principali* rupta censeatur, si gens paciscens contra pacem fecerit, non autem si *socii*, quia finito bello, & consequenter facta pace, qui fuerant *in bello* socii, tales esse *desinunt*, ac propterea eorum *sola* causa est, nec amplius a voluntate gentis *principalis* pendet, ipsique imputari potest. Excipe tamen, nisi partes in pace pro facto *sociorum* suam fidem expresse interposuerint.

§. XXVIII.

**P**ariter *quoniam actio singulorum ciuium non potest reputari pro actione gentis (z)*; sequitur, Neque per factum subditorum. pacem *ruptam* haud censeari, si *subditi* gentis paciscentis paci quid contrarium egerint, nisi in quantum *consensio*, aut *ratibabitio summae potestatis expressa*, vel *tacita* probari potest.

§. XXIX.

(z) *Sup. P. I. C. II. §. 28.*

## §. XXIX.

*Aut si aliis  
bellum ge-  
rentibus  
militent.*

**M**ulto minus pax rupta dici potest, si subditi gentis pacifcentis bellum gerentibus militent *citra summum decretum*. Siquidem haec libertas subditorum, aliis vel pro mercede, vel gratis *militandi*, pactione pacis sublata *citra conuentionem specialem* intelligi nequit (a).

## §. XXX.

*Contra  
quos faci-  
endo pax  
rumpatur.*

**P**ax rupta cenferi debet, si vis absque noua causa fiat contra eos, quorum *securitas* pro *scopo* pacis proposita est. Inde fluit pacem rumpi, si 1) *toti ciuitati*, 2) si *subditis singulis*, atque 3) si *sociis* in pace comprehensis, siue *ipsi* pepigerint, siue *alii pro ipsis* vis inferatur, modo de subsecuta horum ratibabitione constet.

## §. XXXI.

*Vel non.*

**E**x diuerso ad pacem ruptam trahi non potest, si vis committatur in *alios socios*, in *cognatos & affines* pacifcentis, qui nec *subditi* sunt,

---

(a) WOLF, l. G. Cap. VIII. §. 1028. contra GROTIUM, l. III. C. XX. §. 31.

sunt, nec in pace *nominati*, nisi aperte iniuria ad ipsius *sugillationem* facta sit: sed & focios contra iniuriam *defensare* pace prohibitum non est.

## §. XXXII.

**R**uptio pacis determinatur *ex qualitate violatione fidei*. Eatenus vero nihil interest inter capita *maioris*, vel *minoris* momenti; pro in pax rumpitur, etiamsi *minoris* momenti capita violentur, nisi gentes firmitati pacis provide cauerint per clausulam, articulis *minoris* momenti subnexam, *ut si quid aduersus hos factum erit, pacem non rumpat.* / Idemque actum videtur, si certo capiti *poena* in casum contrauentionis adiecta sit, nisi alteri *disertis* verbis *electio* sit relicta, vtrum *poenam* petere, vel a *transactione* recedere malit.

Pax rumpitur per violatione capitula est. am minoris momenti.

## §. XXXIII.

**S**ed magis quaeritur, *an uno pacis articulo rupto, pax tota rupta videatur?* Sunt enim (b) qui distinguunt inter articulos *connexos*, in qui

An uno articulo pacis rupto tota pax rupta sit?

Y 2

(b) HENR. de COCCIS *in comment. ad GROT. loc. cit.*  
§. 35. & WOLF, I. G. Cap. VII. §. 1023.



quibus conuenitur de rebus ad *eandem* causam pertinentibus: & inter *diuersos*, in quibus conuenitur de rebus ad *diuersam* causam spectantibus. Priori casu, *uno* capite rupto, *totam* pacem ruptam censerī largiuntur: in posteriori vero casu pacem, in *uno articulo* ruptam, in *caeteris durare* contendunt, quia tot sunt paces *diuersae*, quot *articuli diuersi*, etsi in iisdem tabulis.

## §. XXXIV.

*Affirmatur.*

**V**erum exinde, quod articuli pacis possint esse diuersi quoad *obiectum* (§. 18.), nulla valet consecutio, *separatam* eorum esse *obligationem*, & ex diuersis capitibus vnus eiusdemque pactionis pacis resultare paces *diuersas*, cum potius capita pacis singula alia aliis ex mente paciscentium inesse videantur *per modum conditionis*. Quare verius est, vno articulo pacis rupto, *totam* pacem ruptam censerī, salua tamen libertate partis *innocuae*, an ipsa quoque a pace rupta recedere: an vero seruare pacem, & violantem ad implendum, vel ad reparandam laesionem cogere velit (c). §. XXXV.

---

(c) Conf. GROTIJ, L. III. C. XX. §. 35. & SAM. de Coc-

## §. XXXV.

**I**nterim quum nulla obligatio naturaliter se extendat ad impossibilia (d); manifestum fit, gentem non rumpere pacem, si per eam non stat, quo minus pactum impleatur, quia forte praestatio ob factum tertii, aut casum est impossibilis: sed altera pars pacificens optabit, an expectare malit, si qua spes sit impleri promissum ferius posse, an aestimationem accipere, an mutuis praestationibus, isti capiti respondentibus, liberari.

## §. XXXVI.

**P**actio pacis solet quoque contrahi sub lege amicitiae, quae iuxta GROTIUM (e) eam vim habet, ut iure perfecto obliget ad praestandum officium humanitatis, & ad omittendum, quod alter pro offensa habet, ac consequenter facta huic iuri contraria pacem rumpant.

Y 3

§. XXXVII.

CEI. in comment. § VATTEL droit des gens L. IV. §. 47; Vid sup. P. II. C. IV. §. ult.

(d) KEVFFEL exercit. GROTI. XI. §. 300.

(e) Loc. cit. §. 40.

## §. XXXVII.

Quomodo  
violatur.

Sed quoniam iuxta ipsum GROTIUM hic detrahenda, quantum fieri potest, factio invidia; & amicitia, quae in natura status pacifici continetur, intelligi potest *sine specifico foedere*; hinc rectius distinguendum reor, an gens paciscens ius alterius facto suo *laeserit*, an *simpliciter* contra leges *amicitiae* peccauerit, denegando officia *humanitatis*. Priori solo casu rea pacis ruptae cenferi potest, non casu *posteriori*, & consequenter solo *priori* casu ius belli obtinet, non *posteriori*, id quod exemplis GROTII illustrari potest (f).

## §. XXXVIII.

differentia inter  
pacem ruptam & novam causam bello datam.

Caeterum curate tenendum discrimen, an pax *rupta*, an vero *nova* belli *causa* data sit. Illo enim casu 1) *lis prior reuiuiscit*, quia pax, per quam sopita erat, impleta non est: hoc casu manet prior pax, & *ex noua iniuria* agitur. Quapropter 2) priori casu reparatio *prioris iniuriae* exigitur, *omnisque damni*

---

(f) COCCEI, in comment. ad GROTIUM loc. cit.

*damni* dati *priori* bello: posteriori cau autem satisfactio saltem aestimatur ex quantitate *damni per nouam causam* dati. Sed & 3) in casu ruptae pacis pars laesa potest rumpentem hostiliter persequi *sine noua belli indiëtione*, quae autem in casu *nouae* belli *causae*, ex facto superueniente datae, omnino *necessaria* est. Denique 4) gens ruptae pacis rea incidit in *poenam* conuentionalem pacificationi annexam: sed non aequae, quae tantummodo nouam causam bello praebuit (g).



Y 4

CAPVT

---

(g) Conf. GROTI, *loc. cit.* §, 17. & *seq.* COCCCI, *in comment.* ad GROTI, & TEXTOR *synops. I. G. Cap. XXII.*

## CAPVT III.

### DE MEDIATIONE ET GVA- RANTIA PACIS.

---

#### §. I.

*Quid me-  
diatio et  
mediator  
pacis.*

**P**aci pangendae persaepe interuenit *mediatio*, quae est *actus, quo compositio pacis inter belligerantes a tertio vel perficitur, vel tentatur*. Persona autem, quae ad pacem inter belligerantes componendam operam & consilia sua confert, *mediator* salutatur,

#### §. II.

*Potest con-  
stitui a so-  
la summa  
potestate.*

**S**ecundum hanc notionem finis mediationis est *conciliatio pacis*. Quoniam igitur idem, qui ius habet *ad finem*, habet ius *ad media*; hinc *solae summae potestates*, quae iure *pacis* gaudent, *mediatorem* constituere queunt.

#### §. III.

*Quis potest  
constitui  
mediator.*

**E**x diuerso, quum *mediatores* constituantur *ex consensu* partium belligerantium; fe-

sequitur, in harum arbitrio esse, quos mediatores, an *principes*, vel *priuos*, an *eiusdem*, vel *alterius* religionis constituere velint, quamuis plerumque *principes*, maioris *authoritatis* causa, eligi soleant.

## §. IV.

Quandoquidem vero, quod quis per alium Quomodo mediatio per ministros expedienda. facit, ipse fecisse censetur; poterit utique mediatio per *ministros* expediri, idque in *rebus publicis* mediatricibus fere est necessarium, ne *totus senatus*, vel *totus populus* ad locum mediationis venire debeat, cum eo tamen temperamento, ut assumantur ministri non *suspecti* \* ac regulariter tantum *in consilium* rei adhibeantur, & consequenter illae tantum propositiones, ut propositiones *mediatoris*, accipiantur, quae de ipsius *iussu*, aut *sententia* processere.

\* Ex hoc fluit, gente *mediatrice* etiam *admissa*, superesse ius, ex causa *reiciendi* *ministrum*. Siquidem consensus in *mediatorem* ipsum non infert consensus in eius *ministros*. Et certe potest saepius esse personae *industria* electa, ne alius ea in re substitui, vel actu *mediationis* fungi possit.

## §. V.

*Mediatio  
unde lo-  
cum ha-  
beat.*

Ius mediationis deducitur *ex consensu utriusque belligerantium, & mediatoris*. Ex priori fluit, vt vi libertatis naturalis mediatio a gente tertia oblata *recusari*, nullaque gens *obtrudere* mediationem suam *utrique*, vel *alteri* parti belligeranti queat. Potest enim alterutri parti victoria affulgere, atque mediationi ob- stare *praeiudicium* dignitatis, commodique pro- prii (h).

## §. VI.

*An quis  
possit cogi  
ad recipi-  
endam me-  
diationem.*

Quae quum ita sint, non possumus acce- dere ad sententiam **DARIESII** (i), qui *ius mediatoris non ex potestate a litigantibus concef- sa*, sed ex eodem fundamento, *ex quo fluit ius PRO ALIIS suscipiendi bellum*, deriuat, ac per consequens in casu, quo alicui competit ius, *pro aliis* bellum suscipiendi; eo quoque in ca- su ius illi competere infert, lites aliorum componendi, quin & *cogendi* ad recipiendam mediationem, quia *ius ad maius* semper inuol- uit ius *ad minus*.

## §. VII.

(h) WOLF. *I. N. P. V.* §. 26. & *I. G. Cap. VIII.* §. 1036.

ACHENWALL *I. N. Lib. I. Sect. II. C. II.* §. 301.

(i) *Obscrv. iur. nat. soc. & gent.* 68. §. 32. & seq.

## §. VII.

**E**nimvero quemadmodum iuris belli *pro aliis* *Negatur.* non eundem fontem, nempe *ius naturale puniendi*, bellique *punitivi* cum DARIESIO agnoscimus (k); ita merito negamus, maius esse ius belli *auxiliaris*, quam *ius obrudendi mediationem*. Siquidem ex hoc iure naturaliter consequeretur ius mediatoris *coactiuum ad recipiendas eius propositiones*, quod sine *formali ac aequalitati morali* contrario *iudicio* in actiones gentis alterius vix concipi potest, praeterquam quod id combinari nequeat cum *idea* mediatoris, *qua talis*, qui a studio partium vacuus, seu *neutrarum* partium esse debet. Quodsi autem genti mediationem offerenti a gente, quae sprete mediatione bellum profequitur, *probabilis metus iniuriae*, seu *damni* immineret; tunc illi ius belli non tam vi mediationis recusatae, quam *ex iure auertendi suam laesionem* vltro concedimus (l).

## §. VIII.

---

(k) *Sup. P. II. S. I. C. II. §. 33.*

(l) *Conf. GLAFFEY. im Völkerrecht C. VII. §. 75. §*  
*TEXTOR synoff. I. G. Cap. XX. n. 60.*



## §. VIII.

*Officia me-*  
*diatoris.*

**E**x *idea & fine* mediationis proum est aesti-  
mare officium mediatoris, vt 1) *medius*  
fit inter *utramque* partem, i. e. a studio par-  
tium remotus, 2) vt *conciliet pacem*, omnia-  
que, quae eo pertinent, instruat.

## §. IX.

*Specialia.*

**H**inc mediator pacis 1) *praeliminaria* con-  
gressus praeparat, *locum*, & *diem* con-  
gressus statuit: 2) *ceremoniale*, quod vocant,  
instruit, & *suo* nomine publicat: 3) man-  
data *mediatori* exhibentur, eiusque studio lites,  
circa mandata ortae, componuntur, grau-  
amina cuiusque partis *mediatori* exhibentur,  
qui exhibita partibus communicat: 4) me-  
diator suadet *aequas* condiciones, & dissua-  
det, ne *iniquae* offerantur, imo oblatas a par-  
te alterutra reiicit: 5) *formulam pacis* deline-  
at, & explorata de eo sententia partium li-  
tigantium vel *addit* aliquid, vel *detrahit*, do-  
nec formula ab vtraque parte probetur: 6)  
*eo praesente* pacifcentes pacis articulos *sub-*  
*scribere* solent.

## §. X.

## §. X.

**A**t vero quoniam mediator destituitur iure *Sine iure decretorie finiendi litem.* decretorie finiendi litem; inferimus 1), vt litigantibus *recusare*, aut *acceptare* mediatoris propositiones integrum sit, & iis demum *acceptatis* lis, seu bellum *tollatur*: 2) vt pax etiam *inuito*, vel *inscio* mediatore concludi possit, quia partes de *suo iure* disponunt, nisi ratio *evitandi odium* mediatoris aliud suaserit.

## §. XI.

**P**orro ob eandem rationem & *limites* mediationis colligitur, mediatorem non obligari praestare *guarantiam* pacis: & licet instrumentum pacis subscripserit; subscripsisse censetur qua *testis* non tanquam *guaranta*, nisi *speciatim guarantiam* simul receperit.

## §. XII.

**M**ulto minus mediator gaudet iure, *authentice interpretandi* pacem *dubiam*. Enimvero si interpretatio spectetur vt species legislationis; ea certe mediatori non competit, quippe qui caret imperio in partes pacem *con-*

concludentes. Praeterea hoc ius neque consensu pacem facientium *expresso*, quia nihil de eo dictum in tabulis pacis : neque *tacito* in mediatorem translatum est, quia id in mediatione per eius *notionem & scopum* haud continetur.

## §. XIII.

*De modis  
finiendi  
mediationem.*

Caeterum finitur mediatoris officium 1)  *finito negotio*, si nimirum vel tractatus abrumpuntur, vel pax conclusa est: 2)  *mutuo dissensu*: 3)  *morte* mediatoris, nisi in  *successorem* partes consenserint: 4)  *renunciatione* vel mediatoris, vel litigantium (m).

## §. XIV.

*De guarantia pacis.*

A mediatione iuxta praemissa (§. II.) differt  *guarantia* pacis, quae est  *conuentio publica*, qua gens genti utriusque vel alterutri pacem facienti promittit  *securitatem* pacis, ideoque  *auxilium* contra eam, quae pacem  *violat*,  
§

---

(m) Conf. IOAN. PAUL. FELWINGER  *de mediatoris officio & requisitis*. Altorf. 1676. PHILIP. MÜLLER  *mediator*. Ienae 1688. HENR. CÖCCEI,  *de officio & iure mediatorum pacis*.

*si altera indiget.* Pacificatio *guarantia* munita, seu quam seruatum iri, *guarantia* cautum est, pax *guarantigiata*, gensque, *guarantiam* promittens, *guaranta pacis* nominatur.

\* Secundum hanc notionem obseruetur, quomodo *guaranta* discerni debeat 1) a *fideiussore* pro gente alia, quippe qui promittit, a se praestitum iri id, quod gens altera debet, nisi id ipsa praestiterit, ac per consequens ad plus tenetur, quam *guaranta* (P. II. C. V. §. 5.). 2) A *sponsoribus pacis*, quippe qui ad nuda tantum *humanitatis* officia tum in *promouenda*, tum in *exequenda custodiendaque & seruanda* pace sese adstringunt, *auxilia realia* haud promittentes.

### §. XV.

**G**uarantiae summa diuisio est in *generalem*, si *Guarantia* praestatur de iis *omnibus*, de quibus in *pace* fuit conuentum: & *specialem*, prouti *saltem* de *nonnullis*, aut *uno*, vel *altero* conuento interponitur.

### §. XVI.

**Q**uemadmodum *guaranta* vi *guarantiae* *violatam* fidem bello se vindicaturum *promittit*; ita *ius belli* necessario habere debet.

bet. Quamobrem, quum iure armorum polleant *solae summae potestates*; nonnisi istae *guarantiae* esse possunt,

## §. XVII.

*Guarantia in dubio est realis.*

Quoniam itaque actus regis in dubio censetur fieri ab eo *qua tali*, & nomine *ciuitatis* (n); sequitur, *guarantiam pacis*, a rege praestitam, in dubio esse *realem* adeo, ut ad *successores* regni transeat, nisi eam *guaranta* ad suam *personam* nominatim restringere voluerit.

\* Notetur, quomodo *guarantia* dicatur *personalis* triplici sensu, quatenus vel restringi potest ad personam *guarandi*, vel ad personam eius, cui praestatur, vel ad personam *utramque*, ac per consequens in casu primo *guarantia* expirat *guarando mortuo*, in secundo *mortuo* eo, cui praestatur, in tertio *mortuo alterutro*.

## §. XVIII.

*An guarantia ab usurpatore imperii praestita obligat legitimum regem.*

At vero quaeritur, *an guarantia pacis*, ab *usurpatore imperii interposita*, obliget legitimum regem? Idque ideo negamus, quoniam talis *guarantia* vi *administrationis* imperii valet quidem intuitu *ciuitatis*, quamdiu durat possessio: at

(n) *Sup. P. II. C. IV. S. 28.*

at intuitu *legitimi regis* habetur pro *iniuria*, & consequenter *inualida* est, nisi hic eam ratiha- bucrit (o).

## §. XIX.

**F**inis guarantiae est *securitas* pacis per pro- Eiusdem  
 missionem auxilii ferendi contra eum, pacis pos-  
 qui pacem rumpit. Iam vero euidens est, sunt esse  
 maiorem esse securitatem, si *plures* simul gua- plures gua-  
 rantiam praestent; igitur eiusdem pacis *plures* rantiae.  
 guarantiae omnino esse queunt.

## §. XX.

**Q**uin & idem finis obtinetur, si affecura- De gua-  
 tionem pacis vniuersi *paciscentes* singulis rantia pa-  
 paciscentibus faciant, aut hi sibi inuicem re- cis ab ipsis  
 spectiue *euictionem* praestent. Quare nihil im- compacif-  
 plicat, & moribus gentium admodum con- centibus  
 forme est, vt singulis pacis confortibus *uni-* praestan-  
*uersi* paciscentes vel *soli*, vel *concurrente* gua- da.  
*rantiae extraneo*, guarantiam promittant, aut vt  
 singuli pacis confortes sibi inuicem respecti-  
 ue euictionem praestent.

## §. XXI.

(o) *Sup. loc. cit. §. 5.*

## §. XXI.

*Guarantia  
praestari  
potest abs-  
que consen-  
su eius,  
contra  
quem praes-  
tatur.*

**S**imiliter ex eo, quod guarantia guarantiam pacis vi libertatis naturalis recipiat *in securitatem*, & ex *consensione* eius, qui contra laesionem, ex ruptura pacis metuendam, se defendit; prona infertur consecutio, ad guarantiam haud requiri *consensum* gentis, contra quam praestatur, adeo, vt guarantiam, ea quoque *inscia ac inconsulta*, praestari nihil vetet.

## §. XXII.

*Iura & of-  
ficia gua-  
rantiae.*

**P**ariter ex *scopo* guarantiae fluit, iura & officia guarantiae in eo consistere, vt *securitatem pacis tueatur*. Quapropter 1) obligatur, omnem interponere operam, vt vtraque pars compaciscens pacificationi conuentae satisfiat, neque ab ea aliquo modo refiliat. 2) Si altera pars reluctetur feruare pacem, aut eam rumpat; armis partem laesam defendere obstringitur, adeo, vt in casum negatae assistentiae reus *violatae fidei ac iniuriae* euadat, ac per consequens ad omne id, quod *interest*, teneatur, & in eum iusta *belli* causa detur.

## §. XXIII.

## §. XXIII.

Quandoquidem vero guarantia pacis in- *Auxilium*  
 uoluit officium ferendi *auxilium* genti per *ex gua-*  
 pacis ruptionem laesae, si eodem indiget (§. *rantia*  
 14), de hac autem indigentia guarantiae con- *prae-stari*  
 stare potest demum post *implicationem* a gente *d bet non-*  
 laesa factam; facile intelligimus, guarantam *nisi post*  
 pacis, hac quoque rupta, non obligari ad fe- *implor-*  
 rendum *auxilium*, *nisi id imploretur.* *tionem.*

## §. XXIV.

Et quemadmodum guarantia pacis respicit *Quid si*  
 ius & fauorem partis pacifcentis, quae *pars laesa*  
 violata pace laeditur, iuri autem & *fauori* pro *adquies-*  
 fe introducto renunciare quilibet potest; ita *cat?*  
 manifestum fit, guarantam pacis teneri *absti-*  
 nere ab *auxilio* armato contra gentem, quae  
 pacem rumpit; si pars, ruptione pacis laesa,  
*adquiescat*, ac reparationem suae laesionis *in-*  
 termittere velit.

## §. XXV.

Quumque *sufficientibus mediis lenioribus natu* *De prae-*  
*raliter iniquum sit, prouere ad media violen-* *uia indi-*  
*ta,* *catione belli*



*a guaranta, & ius belli cesset oblata idonea satisfactione (p);*  
*ta facien-* fatis euincitur, a guaranta tentanda esse re-  
*da.* media primum *suaforia*, speciatim cum *gradi-*  
*bus admonitionis* in pacto guarantiae definitis,  
 antequam rupturam pacis *armis* vindicet. At-  
 que hinc *clarigatio*, seu *indictio bellica* hoc quo-  
 que casu praemittenda venit.

## §. XXVI.

*De casu*  
*guaran-*  
*tiae.*

Tandem si apte patet, *casum* guarantiae de-  
 terminari ex *consensu pactitio* guarantiae: hic  
 autem consensus refertur tantummodo ad *pa-*  
*cem contractam* eiusque accessiones, neque vi-  
 tra id, quod *expresse* cautum, extendi potest;  
 igitur guarantia pacis pertinet solum *ad pacem*  
*contractam*, eiusque *accessiones*.

## §. XXVII.

*Specialia.*

Inde fluunt conclusiones, vt 1) guarantia  
 spectet ad pacta quidem *accessoria*, seu arti-  
 culos *separatos*, si in *continenti* adiiciantur, non  
 autem ad condiciones ex *interuallo* appositas,  
 nisi de his quoque guarantia sit praestita: &  
 multo magis 2), vt guarantia non ad *aliam*  
 pa-

---

(p) *Sup. P. III. S. I. C. II. §. 43.*

pacem porrigi debeat, nec possit, nisi prior pax rupta alia dein pace iterum coaluerit, neque *noui* articuli inserti sint. Ad horum enim euictionem guarantiae non tenentur. 3) Vt guarantia effectum habeat in casu quidem pacis *ruptae*, non vero si pars pacificens *nouam bello causam* praebuerit. 4) Vt ius guarantiae non propagetur ad novos socios in pace haud comprehensos. Et tandem 5) vt obligatio guarantiae in regula obtineat contra partem *compaciscentem*, quae pacem rumpit, non autem contra *extraneos* paci guarantigatae *contrarium* aliquid facientes, nisi in specie horum quoque intuitu guarantia pacem affecurauerit.

## §. XXVIII.

Caeterum quum ius perfectum guarantiae correlatam habeat obligationem perfectam, *non resistendi* expletioni huius iuris; facile conficimus, genti, quae pacis *ruptae* se ream facit, nullum dari ius *defensionis*, aut belli contra guarantam, qui genti laesae adfuit: at vero, si altera gens negauerit, se pacem violasse, vel aduersarium prius a pace recessisse, adeoque guarantiam iniuria aut postulari,

*An pars aduersa guarantiae possit resistere.*

stulari, aut praestari doceat; omnino hic *iustitia* belli *causa* oritur, ac per consequens omnia in guarantiam, tanquam *socium basis*, licent. Iudex enim inter duas summas potestates non est (q).

\* Pacem inter gentes quoque firmari per *iuramenta*, *assurances* sub *fide regia*, per *pignora*, & quod rarius, per *obsides*, qui modi corroborandi pacem ad distinctionem guarantiae, quam vocant *personalem* & de qua h. l., guarantia *verbalis* & *realis* a nonnullis appellantur, omnino notum est, quare quae de his modis *assuratoriis* pactorum inter gentes P. II, C. V. demonstrata dedi, huc quoque trahenda sunt.



## CAPVT

---

(q) Conf *super integra hac materia* HENR. de COCCEL, *diss. de Guarantia pacis.* & WOLF. I G. C. p. IV. §. 442.

## CAPVT IV.

DE LEGATIS, EORVMQVE  
IVRE.

## §. I.

**T**este experientia plura impedimenta *phsyica* *Quid sunt legati.* & *politica* obstant, quo minus gentes, aut rectores ciuitatis pro tractandis negotiis *publicis*, & speciatim pro *concilianda pace* inter se ipsi conueniant. Inde opus est ministerio legatorum, quo nomine insigniuntur *personae a gente ad gentem negotiorum publicorum tractandorum causa missae.*

## §. II.

**E**x hac notione elucet, duo esse requisita *Requisita legati.* legati: 1) vt a *gente* mittatur ad *gentem*; 2) vt ablegetur negotii *publici* causa. Ex *priori* fluit, iure legationum gaudere solas *summas potestate* \* *inter se*. Quapropter personae ab imperante ad *subditos* missae non legati, sed *commissarii*: & illi, quos *subditi* ad *imperantes*

mittunt, *deputati* nuncupantur. Ex *posteriori* autem dignoscimus, quomodo legati discernantur ab *agentibus*. Hi enim tantummodo negotia *priuata* summi imperantis, aut etiam ciuium singulorum eiusdem nomine apud gentem aliam curant,

\* De iure legationis *Statuum I. R. G.* videatur *KVLPI* (r). Sed & *interregni* tempore *proceres*, aut *populus*, qua subiectum *temporarium* maiestatis (s), ius legationis habent. Imo in bellis *ciuilibus* videmus, *utrique* parti id saepius fuisse vsurpatum, & ex *rationibus sua* *suasoria*, seu *necessitatis* concessum.

### §. III,

*Est mandatarius officialis publicus suae gentis eum characterem repraesentatio generalem.*

**P**orro exinde consequitur, vt legatus spectari debeat 1) qua *mandatarius* gentis mittentis, & consequenter is intuitu negotii sibi demandati gentem suam, qua *mandantem*, repraesentet, qui status legati, quatenus nempe gentem mittentem repraesentat, nuncupatur *character repraesentatiuus generalis*: 2) qua *officialis* gentis mittentis *publicus*, ac proin qua legatus non suo, sed *alieno* nomine, & *dependentem* a gente sua agit. Vnde deriuantur officia legati erga *suam* gentem (t).

### §. IV.

(r) *Diff. de legationibus statuum imp.*

(s) *Syst. I. P. V. Part. III. C. III. §. 3. & 4.*

(t) *HENR. COCCEL. de repraesentatiua legatorum qualitate.*

## §. IV.

**E**nimvero a caractere repraesentatio *generalis* legati quoad *negotium* differt caractere repraesentatio *specialis* quoad *dignitatem* mittentis, vt legatus perinde haberi debeat, ac si mittens ipse praesens esset. Vnde fuit distinctio inter legatos *primi ordinis* (Gesandte, Ambassadeurs) & legatos *secundi ordinis*, qui etiam *Abgesandte* & gallice *Envoyés* dicti. Quum autem negotia inter gentes absque hoc caractere geri possint; caracter ille non est iuris gentium naturalis, seu vniuersalis, sed *consuetudinarii*, aut *partitii particularis*, eumque agnoscere gens nulla obligatur, nisi ex pacto.

Qui distinguuntur a caractere  
re legati  
repraesentatio  
speciali.

\* Exponantur in praelectionibus peculiare praerogatiuae & honores legatorum *primi ordinis*, quales sunt 1) titulus *excellendae*, 2) solennis introitus, 3) solennis audientia, 4) ius tegendi caput in solenni audientia coram rege, ad quem missus est, 5) honos primae visitationis, 6) honos manus dexterae, seu praecedentiae in domo propria, 7) honos sellae honorariae, 8) dignior habitatio (u).

Z 5

§. V.

(u) Conf. CHRIST. GOTTL. GVTSCHMID *de praerogatiua ordinis inter legatos*, Lips. 1755.

## §. V.

*Quid sint  
litterae le-  
gatorum  
instructo-  
riae & cre-  
denciales.*

Quibus ita constitutis in promptu habetur ratio, cur legatis dari soleant duplicis generis *litterae: instructoriae*, in quibus *mandati limites legato definiuntur, & agendi concludendique modus penitus praescribitur: & credenciales*, quas gens mittens dat legato ad eam, ad quam mittitur, & in quibus eum legatum suum (adiecta etiam *qualitate* characteris *repraesentativi*) apud eandem gentem declarat.

\* Litterae instructoriae *arcana* mandati continent ac in *privatos* usus legati consignantur, neque genti, ad quam missus est legatus, exhiberi debent: quod secus est in litteris *credencialibus*. Quamobrem in quaestione, *an gens seu princeps teneatur ex contractu legati, si fines mandati excefferit?* Inter actum litteris *instructoriis*, vel *credencialibus* legati contrarium summo iure distinguimus (w).

## §. VI.

*Distinctio  
in legatos  
ordinarios  
& extra-  
ordina-  
rios.*

Quemadmodum litterae credenciales vicem *mandati publici* sustinent; ita sunt vel *generales*, vel *speciales*, prouti in illis aut *mandatum generale* legati ad negotia publica, aut *mandatum speciale* ad unum, vel alterum negotium expediendum continetur. Lega-  
tus

(w) Vid. GLAFFEY im *Völkerrecht C. IV. §. 14. & seq. i*

tus litteris credentialibus *generalibus* instructus dicitur legatus *ordinarius*, *assiduus*, *residens*: contra legatus litteris credentialibus *specialibus* instructus legatus *extraordinarius*, vel *temporarius* adpellatur.

## §. VII.

**P**raeterea ex litteris credentialibus colligitur, an legatus mandatum *cum libera*, vel *sine libera* acceperit. Inde pro diuersitate huius madati legatus est vel *plenipotentarius*, vel non (x).

## §. VIII.

**N**egotia publica, quae ope legatorum inter gentes expediri debent, concernunt tum *expletionem officiorum naturalium* gentis erga gentem, tum *conseruationem* gentium singularum, ad quae datur *ius perfectum*. Quamobrem quum *ius ad finem det ius ad media sufficientia*; *ius legationum* inter gentes promanat *ex necessitate medi* ad hunc *finem* obtinendum, ac per consequens genti qua tali ex iure gentium *naturali* competit *ius perfectum*, mittendi legatum,

## §. IX.

---

(x) Conf. GEORG. ESTOR *de iure poscendi litteras credentiales*. & IOAN. FRID. IVGLER *de litteris credentialibus legatorum*.



## §. IX.

Cum corre-  
cta obli-  
gatione  
perfecta  
non repellat  
legatum  
puni.

**P**osito hoc iure *perfecto* necessario ponitur correlatiua obligatio gentis erga gentem *perfecta*, non turbandi alteram in usu huius iuris. Iam vero talis turbatio committitur, si gens legatum ab altera gente ad se missum repellat; igitur gens ex lege gentium naturali *perfecte* obligata est, ut legatum ab altera gente ad se missum *non repellat*: atque gens, quae *contrarium* agit, violat ius *perfectum* gentis legatum mittentis, ac per consequens iustam bello causam praebet (y).

\* Ad argumenta, quibus GROTIUS (z) iura & receptionem legationum ex iure gentium *voluntari* deducit, aut alii (a) receptionem legatorum ad regulas *meri arbitrii*, aut saltem *decori* inter gentes referunt, in praelectionibus respondendi locus erit.

## §. X.

Exceptio.

**A**t vero quoniam ab officiis erga gentes *alias* etiam *perfectis* ob collisionem officiorum gentis erga *se ipsam* legitima *exceptio* instituitur; hinc nemo dubitauerit, inter gentes *cessare*

(y) PUFENDORF I. N. & G. L. II. C. III §. 23. WOLF. I G. Cap IX. §. 1044. & seq. & DARIUS *inst. iurisp. uniu part. spec. sect. VIII. C. II. §. 973.*

(z) L. II. C. XVIII. § 1.

(a) ACHENWALL *ad GROT. loc. cit. §. 3.*

*cessare officium admittendi legatum, si eius admissio cum publicae salutis, vel securitatis detrimento coniuncta sit, atque ideo iusta adpareat causa, eum reiiciendi, quae subnascitur vel ex eo, qui mittit, vel ex eo, qui mittitur, vel ex eo, ob quod mittitur (b).*

\* Ex his principiis explicari debet, quid iustum sit circa recusationem legationum *assiduarum* inter gentes (c).

### §. XI.

**N**ec aliquis obmoueat, ea, quae haecenus *De necessaria admiffione legatorum ad hostem.* de *necessitate, mittendi legatos, exposita sunt, conuenire legatis missis ad gentem amicam, non vero ad hostem.* Siquidem & in statu belli emergunt casus, in quibus pactiones ineundae, vel pars vna alteri voluntatem suam significare tenetur, an vel gens laesa credat sibi satisfactum iam esse, aut cedere velit: vel denique quod laedens parata sit satisfacere, & consequenter bellum pace finiri & componi debeat? At nihil horum fieri potest, nisi per legatos; igitur ex *medii necessitate sequitur,*

---

(b) Conf. GROTI. *loc. cit.* §. 3. & WOLFF. *l. c.* §. 1048. *in not.*

(c) IOA. CHRIST. DORN. *de eo, quod iustum est circa legationes assiduas.*

quitur, *admissionem* & *confectariam inuiolabilitatem* legatorum etiam *inter hostes iure naturae*, in regula, esse *necessariam*, nisi causa specialis *recusandi* legationem ab hoste oblatam adpareat.

\* Moneatur de litteris *committatis* legato hostili in specie dandis, & simul examinetur quaestio, an legati hostium sine his tabulis liberi aditus sine litteris credentialibus tuti sint? de qua vid. *AVG-  
LER cit. diff. §. II.*

## §. XII.

*Sanctimo-  
nia legato-  
rum, in  
quo confi-  
stat.*

Ex iisdem fontibus fluit, iuris gentium *naturalis* esse *sanctimoniam* legatorum, quatenus ad *scopos* legationum necessaria est, ac per consequens inuoluit 1) *inuiolabilitatem*, seu *securitatem personae peculiarem*, adeo, ut *gravior* censeretur iniuria *legatis*, quam peregrino *privato* illata, & haec inuiolabilitas porrigatur quoque ad legatos ab *hoste* missos: 2) *libertatem agendi & sermonis*: 3) *independentiam ab imperio* gentis, apud quam legatus subsistit, respectu suae *legationis*.

\* Huc quoque refertur libertas legatorum quoad *privata sacra* (d).

## § XIII.

(d) Conf. *IVSTI HENR. BOEHMERI diff. de privatis legatorum sacris.*

## §. XIII.

**A**t maior difficultas est, *an haec independentia legati qua talis inferat plenariam exemptionem legati a iurisdictione civili & criminali, adeo, quoad contractus & delicta in loco legationis commissa non sortiatur forum gentis, ad quam missus est?* An in plenaria immunitate a iurisdictione civili & criminali gentis recipientis. Sunt enim, qui in genere affirmant, hancque exemptionem fundant tum in iure gentium voluntario (e), tum in pacto receptionis tacito (f), tum in caractere legati repraesentatiivo (g).

## §. XIV.

**E**x diuerso alii (h) sunt, qui iure gentium stricto rectius id negant, quia immunitas legatorum quoad substantiam talis & iure iure naturae stricto negatur.  
na-

(e) GROTIUS. L. II. C. XVIII. §. 4. n. 5., quem sequuntur SAM. RACHELIVS de I. G. thesi 67. seqq. & BYNCKERSHOEK de foro competenti legatorum C. XVIII.

(f) GRIBNER princ. iurispr. nat. L. III. C. IV. §. 3.

(g) SCHIERSCHMIED elem. iur. nat. soc. & gent. P. III. C. II. §. 550. Corol. 8. & VATTTEL droit des gens. L. IV. C. VII.

(h) HENR. de COCCEI. in diss. de legato sancto, non impuni, & in comment. ad GROTIUM, loc. cit. BARBEY. in not. ad GROTIUM & ad tractatum BYNCKERSH. de foro competenti legatorum. WOLF. I. G. Cap. IX. §. 1058.

naturae *praecepta* determinari debet ex *scopo* & *usu* legationis, ac per consequens refertur ad negotia & iura *publica*, quae legatus *qua talis* sibi demandata & adquisita habet. Iam vero tale negotium certo non est *contractus*, aut *delictum* legati, siue ius fallendi fidem naturalem *contractus*, aut delinquendi; igitur *immunitas* legati quoad *substantiam* talis, & iure naturae *praecepta*, haud quaquam refertur ad *contractus* & *delicta* in *loco legationis* commissa. Sed & 2) genti legatum recipienti salua manet *potestas generalis tuendi* securitatem & iura suorum ciuium, quam securitatem & iura legatus *delinquendo*, aut *non seruando fidem* *contractus* manifesto violat.

## §. XV.

*Conceditur  
ex rationi-  
bus decori.*

**E**nimvero ex caractere legati *repraesentatiuo*, vi cuius is repraesentat suam gentem, a qua missus est, atque adeo ultra sortem peregrini *priuati* in territorio alieno commorantis eminet, legitima desumitur ratio decori,

vt

---

Et IOAN. LAVR. FLEISCHER. *diff. de iuribus Et iudice competente legatorum C. IV. §. 80. Et dissert. nostra de eo, quod iustum est circa fundatam in territorio potestatem, sect. I. §. 14. Pragae, 1762.*

vt legatus adinstar *principis territorium alienum* ingrediens (i) in causis quoque *privatis* non censeatur iure *subditi temporarii*, sed *immunis* a iurisdictione ciuili & criminali gentis, ad quam missus est. Suadent hanc immunitatem aliae etiam causae, 1) ne ex detentione legati propter debitum, vel ex punitione legati delinquentis genti detinenti, aut punienti legatum *maius malum* & forte *bellum*, quod in hoc casu tamen esset *iniuria*, sit metuendum, 2) ne interrumpantur *commercia*, 3) vt euitetur *talio*, quem ciuitas mittens in legatos ciuitatis alterius minatur, 4) vt conseruatio, aut ratio *singularis amicitiae* erga gentem mittentem promoueatur.

## §. XVI.

**A**ttamen quum absque dubio ius naturae *Exceptio.* non aliter consulat *inuiolabilitati* ac *immunitati* legatorum, quam *quatenus cum iure gentis in sui conseruationem & securitatem publicam*, cui gens legatum admittens neuiquam renunciat, *consistere potest*; manifesto conseruitur, vt legatus

---

(i) *Sup. P. I. C. III. §. 58.*

tus in casu specifico, quo hostilia machinatur contra maiestatem principis, aut statum reipublicae, apud quam degit, imponat rectori ciuitatis legitimam necessitatem, se & statum publicum tuendi contra molimina funesta, poenamque ei, qua hosti, irrogandi. Et profecto legatus agendo contra officium legati se ipsum priuat sanctitate, qua legati sunt conspicui (k).

## §. XVII.

*Inuiolabilitas legatorum pertinet etiam ad comitatum & suppellectilem.*  
**I**nuiolabilitate & sanctimonia legatorum contineri quoque officiales, comites & famulos eorum, quin & vasa ac suppellectilem, facile ex eo euincitur, quod haec sint accessio legati ad sustinendam eius dignitatem necessaria, & consequenter ex persona legati ius participant.

## §. XVIII.

*An legato competat iurisdictio in suam familiam.*  
**A**ttamen inde non consequitur, iure gentium vniuersali legato competere iurisdictionem in suam familiam. Siquidem ipse princeps mittens eam, in alieno territorio haud habet, neque exercere potest (l), adeoque eam

(k) Conf. COCCEI. loc. cit.

(l) Sup. P. I. C. III. §. 59.

eam legato tribuere nequit (m), quamvis ex regulis *decori* (§. 15.) fieri possit, vt propter debitum, aut delictum alicuius *ex familia* legati *satisfactio*, aut *deditio* postuletur a legato, vel delinquens ad poenam *in patriam* remittatur.

§. XIX.

Specialis sanctimonia & inuiolabilitas debetur quoque *aedibus* legatorum, adeo, vt omnes consentiant, legatorum aedes *immunes* esse ab omni *vi* non solum *iniusta*, sed & *iusta*, quam *vi* potestatis ciuilibus imperanti in aliis aedibus sui territorii exercere licet.

*Quomodo aedes legatorum sint sanctae.*

\* Notetur de iure legati ob hunc finem aedium portis insignia gentis, a qua missus est, superaffixa habendi.

§. XX.

Verum ab hac immunitate nullam esse confectionem ad ius *asyl*i legatorum aedibus competens, facile intelligimus, quia 1) inuiolabilitas legatorum *ipso*s quidem *cum sua*

*An ius asyli legatorum in aedibus competat.*

Aa 2

fami-

(m) GROTIUS. L. II. C. XVIII. §. 8. & COCCIJ. ad GROTIUM. loc. cit.



*familia*: non autem *alios*, qui ad familiam non pertinent, *sanctos* facit. 2) *Afylum* non est nisi *ex lege & priuilegio superioris*: legatus vero *superioritatem* nullam in *alieno* territorio, adeoque nec ius *priuilegia* concedendi habet. 3) *Afylum* ex sua natura & origine praesidium est *innocentiae*, & consequenter locum demum habet in factis, quae sine *proëresi* procedunt, non vero in *delictis* (n).

## §. XXI.

*An violatio legatorum sit iusta causa belli.* **E**x caractere legati, repraesentatiuo generali haud difficulter eruitur, *violato legato gentem mittentem ipsam censerit laesam*. Quamobrem *violatio* legatorum inter gentes iustam bello causam praebet, idque verum est, si *laesa* sit *sanctimonia & inuiolabilitas* legatorum iure naturae *perfecto* constituta (§. 12.)

## §. XXII.

*Distinguitur.* **A**liud vero obtinet, si *offensio legatorum* fiat contra officia *decori* (§. 14.). Tunc enim soli iuri *retorsionis* inter gentes locum dari, ex indole horum officiorum, qua *imperfecte* debitorum, abunde patefcit. §. XXIII.

(n) COCCEL. ad GROTI. loc. cit. §. 8. & NETTELBLADT. *iurispr. nat. civ.* L. II. sect. I. memb. III. tit. IV. §. 498.

## §. XXIII.

**C**aeterum ex eo, quod legatus non repraesentet gentem mittentem, nisi apud eam, An sanctitas legatis debeat in gente tertia. ad quam missus est, & quod *sanctimonia* legati speciatim firmetur per eius *admissionem*: ratio manifesta euadit, cur haec sanctitas ex *peculiari legationum iure* proueniens non debeat a gente *tertia*, apud quam legatus munere *legationis* non fungitur.

## §. XXIV.

**I**nterim quoniam nulli genti competit *ius*, Affirmatur de securitate communi. *impediendi alteram in expletione officiorum naturalium erga se & alias*, ac *concessio transitus* peregrino debetur iure *perfecto* (o); palam consequitur, vt legati gentis *pacatae*, qui per fines gentis *tertia*e transeunt, *communi* saltem *peregrinorum iure* tuti esse debeant, etiamsi ad hostes *gentis pacatae* eant, seu ab hostibus eius veniant.

## §. XXV.

**A**t vero quemadmodum officia gentis *aliis* Exceptio. debita *in collisione* naturaliter cedunt officiis

A a 3

ciis

(o) *Sup. P. II. C. II. §. 7.*

ciis naturalibus gentis *erga se ipsam*; ita genti tertiæ *ex iure ad propriam salutem* competit facultas *detinendi* tales legatos, si 1) *ex contractu*, vel *delicto* teneantur: & magis 2) si *hostilia*, nomine suæ ciuitatis, contra ipsam mo-  
liantur, vtpote quia ad hostes gentis mittuntur, vel ab hostibus veniunt ex causa *pangendi*, aut *compositi* contra eam *foederis*,

## §. XXVI.

*Exceptio  
ulterior.*

**A**tque ob eandem rationem 3) gens tertiæ summo iure gaudet *capiendi*, quin & sub certis determinationibus *occidendi* legatum gentis, cum qua *bellum* ipsi est, etiam si ad gentes sibi *pacatas* mittatur, vel a pacatis veniat. Siquidem talis legatus hostilis huius ciuitatis *hostis* est, causam hostis sequitur & defendit, adeoque *hostis* loco haberi potest (p).

## §. XXVII.

*Modi fini-  
endi lega-  
tiam.*

**F**initur legatio 1) *morte legati*, saluis priuilegiis *familiae*, donec intra fines territorii mittentis reuertatur, aut declaret animum in loco legationis *domicilium* constituendi, quo  
ta-

---


(p) COCCEI. *ad GRO T. loc. cit.* §. 5.

tamen factò obligatio familiae *reddendi rationes de defraudationibus legati* defuncti, aut delictis propriis erga gentem mittentem non extinguitur. 2) *morte mittentis*: 3) *morte eius, ad quem missus*, adeo, vt vtroque casu, antequam *nouas litteras credentiales* exhibuerit, ad negotia haud admittendus sit: 4) *reuocatione*, quae *ab arbitrio* mittentis dependet, & hoc casu scribi solent *litterae reuocationis*, quae scribuntur a mittente, in iisque de abitu legati certior redditur is, ad quem legatus missus, vt & *litterae recedentiales*, quae scribuntur ab eo, apud quem legatus reuocatus fuit, qui per eas reuocanti, legatum officio suo optime esse functum, significat: 5) *remissione*, quae toties licita, quoties legatum, si nunc adueniret, *reicere* liceret.

F I N I S.



INDEX



## INDEX

### RERVM PRAECIPVARVM.

#### NUMERVS PAGINAM INDIGITAT.

**ACTVS** in bello illiciti. 240. *sq.*

**ADVENIS** receptum quaerentibus habitationes ex officio imperfecto concedendae. 111. *sq.* quae cautiones hoc casu adhibendae. 113.

**AEDES** legatorum sunt immunes. 371. non gaudent iure asyli. *ib.*

**AEQVILIBRII** inter gentes seruandi ratio an sit causa belli. 207. *sq.*

**AGENTES** quinam sint. 360.

**ALBINAGII** ius. 115. quo sensu subsistat. *ib.*

**ALIENATIO** dominii inter gentes locum habet. 123. pars regni num per pacem alienari possit 332. *sq.*

**AMBASADEVR** quinam sit 361. eius iura & praerogatiuae. *ibid.* \*

**AMNESTIA** 325. eius diuisio. *ib.* quanam in ea tacite comprehendantur 326. *sq.* non extenditur ad res mobiles

# I N D E X.

biles in bello captas, 330. neque ad delicta a subditis contra imperantem proprium commissa, 331. an ad debita 330. *sq.*

**APERTVRAE** ius 139. territoriale vel pactitium, *ib.*

**ARMA** quaenam in bello licita. 238. *sqq.*

**ARMANDIAE** ius in quo consistat. 185.

**ARTES & scientias** gens vna alteri communicare debet. 70. *sq.*

**ARTICVLI** pacis. 332.

**AUXILIATORES** belli differunt a fociis belli. 309. *sq.*

**BARBARIES** a gente vitanda est. 29.

**BELLVM** vel publicum est, vel priuatum. 180. vtrum detur bellum mixtum, 181. ferinum seu barbarum 195. offensiuum vel defensiuum. *ib. sq.* punitiuum non datur. 196. *sqq.* bene tamen assicuratorium. 199. auxiliare. 216. *sqq.* an bellum vtrinque iustum esse possit. 230. *sqq.* an pro alienis subditis contra eorum imperantem geri possit. 39. *sq.* 216.

**BELLI CAUSA** est vel iustifica vel suaforia 194. 201. *sqq.* an sit metus crescentis vicini potentiae. 207. *sq.*

**BELLI DENVNCIATIO.** 223. V. *Denuciatio.*

**BELLI PVBLICATIO.** V. *publicatio.*

**CAPITVLATIO** bellica: 286. generalis vel particularis. *ib.* honorabilis vel minus honorabilis. 287. an denegari possit. *ib. sq.*

X

CAP-

## I N D E X.

- CAPTI** in bello num occidi possint. 250. 254. eorum iura & obligatio erga capientem. 252. *sq.* resistere non possunt victori suo. 255. bene tamen fugere. 255. *sq.* dimissi conditiones sibi positas implere debent. 289. *sqq.*
- CAVTIO** quid & quotuplex. 169. *iuratoria* religioni cuiuslibet gentis attemperanda. 170. *promissoria* 171. *fideiussoria.* *ib.* *sq.* *pignoratitia.* 173. per *obfides.* *ib.* quomodo de pace seruanda caueatur 358. \*
- COMMEATVS** litterae. 282. earum effectus. *ib.* *sq.* ad quos extendantur. 283. *sq.* quomodo expirent. 285.
- COMMERCIA** quid. 24. eorum modum quaelibet gens determinat. *ib.* & 75. quo iure fundetur eorum exercitium in territorio alterius gentis. 73. *sq.* ea prohiberi possunt, si statui nociua sunt. 76., aut si gens altera ea ipsa in suo territorio instituat. 78. concedenda sunt in casu necessitatis, vel ob pactum speciale. 77. *sq.* iuri commerciorum non praescribitur. 78. eorum libertas non turbanda. 79. per pacta tamen restringi potest. *ib.* *sq.*
- COMMISSARIVS** quis dicatur. 359.
- CONSULES** mercatorum. 83. eorum officium. *ib.* iura & libertates. 84.
- CRUCIATAE** expeditiones, quib de iis sentiendum. 214.

DAM-

# I N D E X.

**DAMNUM.** V. *indemnitatis.*

**DENVNCIATIO** belli. 223. conditionata vel pura. 224.  
in bello defensiuo non requiritur. 225. quando in  
bello offensiuo omitti possit. 226. iis facienda est,  
qui ius belli habent. 227.

**DEPUTATUS** quis sit. 359.

**DOMINIUM.** 90. etiam inter gentes datur. *ib. sq.* eius  
adquirendi modus originarius & deriuatiuus. 91. 120.  
*sq.* eius effectus inter gentes. 110. *sq.* **Dominium**  
*maris.* V. *mare, imperium maris.*

**EMPORIUM** quomodo differat a nundinis. 80. eius pri-  
uilegium. *ib. sq.*

**ERROR** num obligationem pactorum inter gentes im-  
pediat. 135. *sqq.*

**EXISTIMATIO** gentis in quo consistat. 27. a nomine lac-  
denda est. 47. sed promouenda. 87.

**FELICITAS** publica gentis, in quo consistat. 21. 30.

**FIDES** gentium politica, moralis, mercatoria. 28.

**FLVMEN** duo territoria determinans quod ad medieta-  
tem in regula ad vtrumque pertinet. 106.

**FOEDERA** quid sint. 147. ea pangendi est ius maiesta-  
tium 148. sunt vel generalia, vel specialia. 150.



## I N D E X.

- aequalia vel inaequalia. 151. *sqq.* pacis vel belli. 153.  
offensiva, defensiva, mixta. 154. perpetua vel tem-  
poraria. 162. personalia vel realia. *ib. sqq.* determi-  
nata vel indeterminata. 154. *sq.* an a gente christia-  
na cum infideli injuri possint. 155. *sqq.* an & quomo-  
do ob causam religionis sint licita. 157. quando eor-  
um obligatio adfit. 158. & quando cesset. 159.  
quid in concursu foederum contra gentem tertiam  
iustum sit. 160. *sqq.* quomodo dissoluantur. 166. *sqq.*
- FOEDERA** neutralitatis. 380.
- FORTALITIA** exstruit imperans. 189. in suo territorio.  
190 in iis exstruendis utitur iure dominii eminent-  
tis. 191. etiam quod ad templa & alias aedes religio-  
sas. 192.
- GENS** quid sit. 1. obligatur iure naturae. 2. erga ali-  
as gentes consideratur ut persona moralis. *ib.* tenc-  
tur se perficiendi. 18. *sqq.* victa perdit autonomi-  
am. 264. num gens extranea alienos subditos con-  
tra proprium imperantem defendere possit. 39. gens  
stupida & inculta gaudet libertate & aequalitate, ut  
aliae gentes liberae. 37. *sq.*
- GERANII** ius licitum est. 83.
- GVARANTA** quis esse possit. 350. *sq.* eius officia. 354. *sqq.*

GVA-

## I N D E X.

**GUARANTIA** quid sit. 172. guarantiam pacis praestant soli summi imperantes. 350. *sq.* ea in dubio realis est. 352. ab usurpatore regni praestita non obligat regem legitimum. *ib.* *sq.* eius finis. 353. utrum ab ipsis compaciscentibus praestari possit. *ib.* quando auxilium ex guarantia praestari debeat. 355. *sqq.*

**HABITATIONES** populo sede sua pulso quomodo concedendae. 111. *sqq.*

**HOSTIS** in hostem iura. 233. *sqq.* eiusdem ius in res hostiles 243. *sqq.* quid possit in territorio pacato. 306. *sq.*

**IMPERANS** alienum territorium ingressus honorifice excipiendus est. 88. an ibi iurisdictionem in suos ministros exercere possit. *ib.*

**IMPERATOR R. G.** quo iure reliquos summos imperantes praecedat. 34.

**IMPERIVM** summum competit cuilibet genti. 25. in eius exercitio turbari non potest. 42. *sqq.*

**IMPERIVM MARIS** num detur. 99. eius effectus. 100.

**INDEMNITAS** genti laesae a laedente praestanda. 47. *sq.* quomodo, si laeso ex latrociniis aut pyratice acciderit 49. aut a militibus alterius gentis illata fuerit.

## I N D E X.

rit. 50. /q. eam etiam praestant subditi ex facto publico sui imperantis. 53. 57.

**INDUCIAE.** 276. earum diuisio. *ib.* a quibus contrahantur. 277 quomodo obligent. *ib.* quomodo interpretandae. 278. quomodo finiantur. 280. quid iis durantibus liceat. 278. /q.

**INSVLAE** in mari natae, detectae, aut derelictae sunt primo occupantis. 101. occupatae pertinent ad territorium gentis occupantis. *ib.* iam habitatae occupari non possunt. 102. nec titulo inuentionis. *ib.* nec ideo, quod earum incolae sint stupidi, improbi &c. 103. neque titulo concessionis a Romano pontifice factae. *ib.*

**IUS BELLI** unde oriatur. 179. est ius maiestaticum. 181. non compedit magistratibus inferioribus. 182. nec subditis. 184. quando cesset. 222, V. *bellum.*

**IUS GENTIVM** est ipsum ius naturae ad gentes applicatum. 2. 10. quomodo ab hoc differat. 3. voluntarium vniuersale non existit. 4. /qq. vniuersale est immutabile & perpetuum. 10. absolutum vel hypotheticum. 11. principia. 12. & definitio I. G. systematice sumti. 13. eius necessitas & vtilitas. 14.

## I N D E X.

**LÆSIO** enormis num infirmet pacta inter gentes. 143.

*sq.*

**LEGATVS** quis sit. 359. eum mittunt gentes liberæ.

*ib.* & 363. *sq.* primi vel secundi ordinis. 361. illius iura & prærogatiuæ. *ib.* ordinarius vel extraordinarius. 362. plenipotentarius. 363. Legatus num repelli possit. 364. *sq.* in quo consistat eius sanctimonia. 366. *sq.* an subsit iurisdictioni gentis, ad quam missus est. 367. *sq.* eius iniuolabilitas pertinet etiam ad eius comitatum. 370. an habeat iurisdictionem in suam familiam. *ib.* an gens tertia illi sanctitatem debeat. 373.

**LEGES** ciuiles alteri genti petenti ab altera communicandæ sunt. 71.

**LIBERTAS** gentis vnde aestimetur. 21. an limitari possit salua summitate imperii. 22. turbari aut impediri ab altera non debet. 38.

**LIMITES** territorii naturales, artificiales, vel politici mensurati sunt. 105. in dubio præsumuntur naturales. 109.

**LITTERÆ** credentiales. 562. instructoriæ. *ib.* omeatus. 282. saluæ guardiæ. 286.

**LYTRVM** pro captiuis redimendis a quo exigatur. 259. an cedi possit alteri. 260. cui solui debeat.

## I N D E X.

261. exceptionem læsionis enormis non admittit.
288. ab hæerede promittentis soluendum est. 289.  
lytrum incendiarium. 292.
- MVGISTRATVS** inferiores ius belli non habent. 182.
- MARE** vastum num occupari possit. 96. 98. an saltem  
quod ad imperium absque dominio. 99 *sq.*
- MATRIMONIA** exteris concedenda cum propriis sub-  
ditis quo iure nitantur. 85. *sq.* negari possunt ex-  
tra casum necessitatis aut odii vel contemptus. 86.  
*sq.*
- MEDIATOR** quis constitui possit. 344. *sq.* ad eum re-  
cipiendum nemo cogitur. 346. *sq.* eius officia. 348.  
an sit guaranta pacis. 349. an pacem possit au-  
thentice interpretari. *ib.* *sq.*
- MEDII** in bello. V. *Neutralitas*.
- MERCES** alterius gentis num vectigalibus obnoxia.  
75. *sq.* num iis transitus per territorium alterius  
gentis prohiberi possit. 76.
- METATIONIS** ius. 189.
- METVS** an valorem pacti inter gentes impediat. 138.  
*sq.*
- MILITES** conscribere potest solus imperans 186. in  
suo territorio. 188. cum iure cogendi suos subdi-

## I N D E X.

tos. 187. etiam priuilegiatos in casu necessitatis.  
*ib.* milites hostis ab hoste occidi possunt 235. non  
vero capti. 250. 254. aut se dedere volentes. 251.

MINISTER num ob damnum illatum alteri genti dedi  
debeat. 51. *sq.*

MONOPOLIA inter gentes quomodo iusta sint. 74.

NAVRAGORVM res num occupari, aut fisco vindi-  
cari possint. 95.

NEUTRALITAS quid 294. ea cuilibet genti licita est.  
*ib.* *sq.* gentis neutralis officia erga belligerantes.  
295. *sq.* laedi ab his non potest. 298. *sq.* num  
commercia cum vna parte belligerantium exerceat.  
302. *sq.*

NVNDINAE quomodo differant ab emporiis. 80.

OBLIGATIO imperfecta quomodo abeat in perfectam.  
60. ex pacto inter gentes proueniens an rescindi  
possit. 141. an contra eam exceptio aetatis mino-  
ris, vel laesionis locum habeat. 142. *sq.*

Obsides. 173. fugere non possunt. 174. neque occidi.  
*ib.* *sq.* quomodo liberentur. 175. an retineri pos-

## I N D E X.

sint ex alia causa , quam dati sunt. 176. eorum debita & sumtus pro alimentis solui debent a ciuitate. 176. an obstagium finiatur morte regis aut obsidis. 177.

**OBSTAGIVM.** V. *Obsides.*

**OCCVPATIO** quid. 92. est modus acquirendi dominii originarius. *ib.* eius effectus. 93. *sq.* quaenam res occupari possint. 94. *sqq.*

**OCEANVS.** V. *mare.*

**OFFICIA** gentium perfecta & absoluta erga se inuicem in quo consistant. 31. *sqq.* imperfecta quaenam. 58. quomodo transeant in perfecta. 60. officia noxiae & innoxiae vtilitatis an officiis perfectis accensenda. 62. *sqq.*

**OPPIGNORATIO** territorii etiam intuitu tertii possessoris tenet. 129. *sq.*

**PACTA** inter gentes seruanda sunt. 133. etiam cum infidelibus & heterodoxis. *ib.* & hostibus. 275. differunt a nudis assertionibus , & tractatibus. 134. distinctionem in nuda & non nuda non admittunt. 135. an infirmentur ex errore. *ib.* *sqq.* an exceptione

## I N D E X.

tione minoris aetatis. 142. an laesione enormi.  
143. *sqq.* successoria in regna. 131.

PACTA gentium *accessoria*. V. *Cautio*.

PACTA BELLICA publica sunt vel priuata. 275. cum  
hoste inita seruanda sunt. *ib.* ad ea referuntur in-  
duciae. 276. commeatus. 282. literae saluae guar-  
diae. 286. pacta deditiois. *ib.* redemptionis vel per-  
mutationis captiuorum. 288.

PAPA num iuramenta gentium aut summorum impe-  
rantium relaxare possit. 170. \* num regna aut pro-  
uincias alteri concedat. 103.

PAX. eius definitio. 312. diuisio. 313. ius pacis pan-  
gendae est maiestaticum. *ib.* competit regi pulso.  
314. & captiuo. 315. *sqq.* non autem regi imma-  
turae aetatis aut imminutae mentis. 314. delega-  
ri potest ab imperante. 318. pace obligantur suc-  
cessores. 334. subditis etiam rebellibus data ser-  
uanda est. 335. non obligat ad impossibilia. 341.  
quemodo rumpatur. 336. *sqq.* an vno articulo pa-  
cis rupto tota pax rupta sit. 339. *sq.* differentia  
inter pacem ruptam & nouam causam belli. 342.

PLENIPOTENTIARIJ quinam sint. 363.

FOR



# I N D E X.

**PORTVS** liberi. 81.

**POSTLIMINIVM** quid. 268. eius obiectum. 269. quae personae eo gaudeant vel non. *ib. sq.* eius effectus, 270 *sq.* spectat etiam ad res mobiles, 271. *sq.* ubi cesset. 273.

**POTENTIA** gentis in quo consistat. 25. *sq.* ea non est augenda cum laesione alterius gentis. 27. potentia vicini crescens an sit causa belli. 207.

**PRAECEDENTIA** inter gentes non datur. 32. neque ex qualitatibus accidentariis v. g. potentiae, culturae, deducitur. 33. sed vel pactis vel obseruantia determinatur. 34.

**PRAEDA** ab hoste capta cedit imperanti. 246. an cedat focis belli. 247.

**PRAESCRIPTIO** an inter gentes locum habeat. 124. *sqq.*

**PRAESIDIUM** ius imperanti competit. 193. non vero Landstättis, aut ciuitatibus municipalibus. *ib.*

**PROEBRIA.** V. *Praecedentia.*

**PROPOLIVM** 81. caute decernendum. 82.

**PUBLICATIO** belli. 228. eius finis. 229. necessitas. 230.

RE-

## I N D E X.

**REBELLES** non sunt protegendi contra proprium imperantem. 44.

**REGIO** vacua occupari potest. 93. occupata. transit in dominium gentis occupantis. *ib.* cum omnibus accessionibus suis. 94.

**RELIGIO.** Eam gentes promouere tenentur. 66. ad veram religionem gentes cogi non possunt. 67. *sq.* quid iure defensionis liceat. 69. religionis diuersitas non tollit communionem iuris socialis inter gentes. *ib.* & 70. ex causa propagandae religionis bellum offensuum geri non potest. 212. bene tamen defensuum. 213.

**RES SACRÆ** num ab hoste vastari possint. 245.

**REX** pulsus num foedus inire possit. 148. num ei gens foederata assistere teneatur contra usurpatorem imperii. 165.

**RVPTRÀ** pacis. V. *Pax.*

**SALVÆ GVARDIÆ** litterae. 286.

**SCIENTIAS & artes** gens vna alteri communicare debet. 70. *sq.*

SERV

## I N D E X:

**SERVITUTES** iuris gentium num dantur. 128. seruitus naturae gentibus stupidis & incultis male imponitur. 36. §9. seruitus captiuorum in bello iusta est. 252. §99. an transeat ad proles in captiuitate natas. 258. inter christianos hodie est abrogata. *ib.*

**SOCI** belli differunt ab auxiliatoribus. 309.

**SPONSIO** pacis num obliget imperantem. 319. §99.

**SUBDITVS** laedens alteram gentem num dedi debeat. 51. subditi hostis ad rebellionem contra suum principem excitari non debent. 241. §99. inermes ab hoste occidi non possunt. 236. §9.

**SUFFICIENTIA** vitae vnde paranda. 23. §9. nulli genti impedienda. 46. genti a gente praestanda est 72. §9.

**SUPERBIA** externa erga alteram gentem aequalitati gentium repugnat. 36.

**STAPVLÆ** ius. 82. caute constituendum est. *ib.*

**STRATAGEMATA** num in bello licita. 241.

**TERRITORII** limites num mutantur termino fluminis per alluuiouem mutato. 107. §9. an alueo fluminis deserto. 108.

TES-

## I N D E X.

TESTARI num possit imperans super regno suo. 130.

TRADITIO an inter gentes ad translationem domini  
necessaria sit. 120. *sqq.*

TRANSITVS per territorium populo aduenae quomo-  
do concedendus. 113. *sq.* an eius denegatio sit iu-  
sta belli causa. 202. *sqq.* transitus mercium quomo-  
do concedendus. 76.

VECTIGALIA mercibus transeuntibus, importatis, vel  
exportatis num imponi possint. 76. eorum iustitia.  
116. & obligatio. 117.

VICTOR quid adquirat per victoriam. 262. 266. *sq.*

VICTORIA quid. 248. in quo consistat. *ib. sq.* non ha-  
bet vim rei iudicatae. 249. tribuit dominum rei  
adquisitae intuitu gentis pacatae. 262. *sq.*

VIOLATIO legati an sit iusta belli causa. 372.

VSVCAPIO num detur inter gentes. 124. *sqq.*



## MONITVM.

Insignes omnino laudes tulit praesens hocce systema iuris gentium a viro clarissimo *D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT* in der unparthenischen Kritik über die neuesten iuristischen Schriften V. St. n. III. Dño tamen inter cetera desiderabat vir celeberrimus, 1) vt P. I. C. II., quid circa agnitionem noui tituli inter gentes iustum sit, diligentius pertractatum esset, & 2) vt positiones illustriores rerum, nostro praecipue aeuo gestarum, monumentis illustratae fuissent. Verum cum *primum* praestiterit author noster in suo systemate iur. publ. vniuers. P. I. C. IV. §. 4. 199 pag. 72. 199. edit. nouiss., *alterum* autem excusationem vel inde mereatur, quod ipsum hoc systema I. G. in vsum praelectionum adornatum ab eo fuerit, vbi ad excitandos auditorum animos suppleri facta historica commode possunt; temperare mihi non possum, quin prae- laudati sagacissimi Doctoris verba adponam. Der Verfasser, inquit inter alia, ist ein Mann von gründlicher Gelehrsamkeit und sehr gesunden Einsichten. Sein Buch zeugt zugleich von seiner großen Belesenheit in den besten protestantischen Schriftstellern von Natur- und Völkerrecht. . . Er hat auf keine Sekt-geschworen, sondern wählet aus allem das, was ihm das Beste zu seyn danket. Wenn er widerlegt, so geschieht es allzeit mit Bescheidenheit, und ohne die geringste Bitterkeit. Mit einem Worte, er ist gerade das Gegentheil von Desingens und Sinetti. —









